ad in thin
front cover as TP
and all other covers in their respective places
keep back.

7-1 p1-48

MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

VOLUMEN VII

~~FASCICULUS I~~ — 31 MART. 1939 – Oct. 1948

7
1939-1948

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS

1939-48

N.B. Page order is page 1 — 222 and then 1-449

MEMORABILIA
SOCIETATIS IESU

VOLUMEN VII

1939

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1939

Imprimé en Italie — Typis impressus in Italia — Printed in Italy

ROMAE - TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE



SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER

PIUS PAPA XII

DIE 2 MARTII 1939

PETRI SUCCESSOR ET SUMMUS CHRISTI VICARIUS

SPIRITUS SANCTI NUMINE

RENUNTIATUS

IESUS IN EUCHARISTIA LATENS
IN MAGNIS CONGRESSIBUS BONAERENSI ET BUDAPESTINENSI
A SANCTISSIMO DOMINO PIO PAPA XII
TUM LEGATO PONTIFICIO
SPLENDIDO TRIUMPHO DEDUCI VOLUIT

INTEMERATA VIRGO MARIA
LAPURDENSIS
EUMDEM LEGATUM SUI AMANTISSIMUM
ANNUM IUBILAREM REDEMPTIONIS CLAUDENTEM
AMPLEXA EST

NOMEN ET STEMMA NOVI PONTIFICIS
COLUMBA OLIVIFERA IN CAERULEO CAELO DISTINCTUM
PACEM POPULIS ANNUNTIANT
QUAM IPSE TERRAS PLURIMAS PERLUSTRANS
OMNIBUS PRAEDICAVIT

POPULUS CHRISTIANUS
SACERDOTEM PIUM SANCTUM STUDIO ANIMARUM FLAGRANTEM
IUBILANS EXCIPIT

SOCIETAS IESU
VINCULO AMORIS REVERENTIAE OBOEDIENTIAE
PATRI CARISSIMO
SESE RURSUS OBSTRINGENS
IESUM EXORAT
UT SUUM SANCTUM VICARIUM
VIRUM SECUNDUM COR SUUM OMNES EIUS VOLUNTATES ADIMPLENTEM
DIU CONSERVET BEATUM FACIAT VIRTUTIBUS AUGEAT

Vol. VII. — Fasc. I. 31 Mart. 1939.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

SUMMO CHRISTI VICARIO

PIO PP. XI

SANCTAE MEMORIAE

AMORIS ET GRATI ANIMI TESTIMONIUM

Die 10 februarii 1939, SSmus. Dnus. Noster Pius Papa XI, postquam annos septemdecim pro Ecclesiae pace et prosperitate vires suas totas effuderat, pridie illius diei, quo Ecclesiae cum Regno Italico conciliationem ante decem annos peractam celebraturus erat, hora 5,31 pie in Domino quievit. Ephemerides omnes sanctae nostrae religioni faventes, complures etiam hostiles, merita huius Summi Pontificis in pace tuenda, in Ecclesia defendenda, in re sociali ordinanda, pro Actione Catholica, pro splendore studiorum, pro Missionibus exteris, extulerunt.

Paternus amor, quo totum hoc tempus Societatem Iesu prosecutus est, dignus esse videtur, qui brevi commentario, grati animi testimonio recolatur. Quem ad finem fere nihil aliud agemus, nisi quaedam ex iis quae in « Actis Romanis » et « Memorabilibus » pro opportunitate dicta sunt collegemus.

Societatem Iesu noverat et diligebat. Cum Emms. Card. Achilles Ratti in Summum Pontificatum evectus est, certe praesagire potuimus Eum Societatis Patrem amantissimum futurum. Fuerat enim Marianae Congregationis Mediolanensis Sodalis et Director, in Universitate Gregoriana Iuris lauream adeptus erat, ter in Collegio nostro Feldkirchensi (Prov. Austriae) Exercitia peregerat, Archidioecesi Mediolanensi praepositus, crebro et libenter Nostrorum ministeriis utebatur.

Cum primum Patrem Nostrum ad pedis osculum post Coronationem admisit, et de quarto Societatis voto referentem audivit, placide respondit: Se hoc votum notum habere, illudque esse Societati magno merito. Sanctae Sedi autem maximae consolacioni. Simulque Societatem laudavit de integritate vitae et de puritate doctrinae (Mem. II. 6). Paucos post menses, excipiens Patres et Fratres totius Curiae, post alias multas amoris notas, hoc aestimationis insolitae signum dedit, ut diceret: « Studium et amorem praecipuum (simpatia e predilezione) quibus Romani Pontifices Societatem prosecuti essent, numquam nimium fuisse, cum et labores scirent, quos illa suscepisset, et maiores eam in posterum, unice ad maiorem Dei gloriam et ad Ecclesiae et Sanctae Sedis emolumentum, suscepturam esse sperarent. Se putare benevolentiam suam in Societatem nobis esse manifestam ». Quibus verbis commotus A. R. Pater Noster humillime respondit Sanctitatem Suam tot tantisque argumentis id Societati probasse, ut ea nihil magis cordi haberet, quam ut se gratam illi praestaret. (Mem. II, 24).

Ideo SS.mus Pater Societatem Iesu ut aliquid *suum* spectabat, eam saepissime Societatem *nostram* appellans, bene enim « Societatem Ecclesiae » et « Societatem Vicarii Christi » eam dici posse, quae re et nomine esset « Societas Iesu ». « Societatem esse magnam familiam supranaturalem, natam speciali quodam modo e Corde Dei, e Corde Iesu, cuius nomen haberet ».

Hos animi sensus eo luculentius exprimebat, quo magis Societatis amorem et oboedientiam experiebatur. Cum enim die 17 augusti 1934 plurimi Patres et Fratres nostri Eum in Castro Gandulfi visitarent, ad prima nostrorum Patrum in Monte Martyrum vota commemoranda, cumque Ipse quarti nostri voti memoriam revocasset, haec verba subiunxit, quae magno nobis solacio esse debent: « Atque hic quidem sinite Nos vobis hanc animi persuasionem detegere (quam vos postea universae Societati notam facietis), hoc scilicet arctum et pretiosum vinculum Societatis cum Sancta Sede unam esse e praecipuis causis Nostri solacii. Id ex intimo animo dicimus. Res est intellectu facilis, tametsi eam vobis modestia vestra captu difficilem reddit, quanto sit Nobis solacio in consiliis capiendis, niti Nos posse sine ullis limitibus opera et adiumento tot animarum, quae tam bene institutae et paratae sunt, ad Nostra mandata exsequenda. Beneficium est hoc, de quo saepe gratias Domino agimus, quod tam magnum, tamque certum auxilium Nobis in hac Societate concessit (Mem. V. 21).

Illud etiam Summi Pontificis aestimationem erga Societatem, augebat, ut Ipse testabatur, quod eius filios magna inter se cari-

tate coniunctos, sine differentia nationum videbat. Sollemne huius caritatis testimonium tulit, cum verba faciens ad Moniales a Coenaculo, occasione earum Capituli Generalis, memoriam revocavit nostrae Congregationis Generalis XXVI, cuius electores, ex omnibus nationibus bello tum inter se dissidentibus congregatos, Ipse vidisset et allocutus esset saepissime, tanta inter se pace et concordia unitos, ut si nullibi in mundo bellum grassaretur. (A. R., IX. 163 et seq.).

Sancti nostri Instituti confirmatio. Qui tantopere Societatem amaret, mirum non est Eum Instituti nostri conservationem magnopere cordi habuisse. Ideo cum sciret universam Congregationem XXVII exoptare et petere, ut lex de Ratione Conscientiae reddenda in pristinum suum vigorem restitueretur: « Hoc mihi, inquit, *peculiari* est solacio; etenim signum est in Societate bonum antiquum spiritum vigere » (A. R., V. 89). Hac eadem Instituti nostri admiratione ductus, et alia in usum revocavit, quae iure communi mutata erant (A. R., V. 647) et nonnulla aliis familiis religiosis commendavit, quibus S. N. Parens saluti Societatis consuluerat, qualis est tertius annus probationis post studiorum clausulam ineundus (A. A. S. 1932, 24).

Nihil autem ita revelat Pii PP. XI admirationem erga Institutum nostrum ut Breve « Paterna caritas », quo illud iterum confirmavit, cum omnibus eius privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, quibus Societatem Pontifices olim ornaverant. « Persuasum enim habemus, ait, fore ut Societas Iesu eo securius atque alacrius in vinea Domini in maiorem Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem comparandam incumbat, quo firmius consistant omnia et singula quae Legifer Pater, divino afflatui parens, voluit religioni a se conditae propria esse et peculiaria ». Quibus dictis verba illa suavissima adiunxit: « Sint igitur dilectae Nobis Societati Iesu hae Litterae Nostrae novum, post tot alia a Nobis eidem impertita, Nostrae benevolentiae testimonium, eique, huic Sanctae Sedi devotissimae, ac propterea tot tantisque impetitae calumniis, levamen aliquod afferant, quo recreati eius Sodales impensius in dies, « iuxta pium eorum institutum » (ut Sacrosanctae Tridentinae Synodi verbis utamur) a Sancta Sede approbatum, Domino et Ecclesiae eius inservire possint » (A. R. VII. 275).

Exercitiorum S.ti Parentis promotor. Antiquus erat in Summo Christi Vicario libri Exercitiorum amor. Hoc enim non solum ad propriam sanctitatem provehendam, sed etiam ut alienam excoleret usus erat, ut ipse initio suae Encyclicae « Mens nostra » testatur. Praeterea, ut bonus librorum amator et custos, commen-

tarium Exercitiorum a Suo Sancto Praedecessore Carolo Borromaeo exaratum et a se compertum publici iuris ipse fecerat (Mem. II. 6).

Vix autem Petri Cathedram conscendit, S.tum Parentem Ignatium, per Constitutionem Apostolicam « Summorum Pontificum », omnium Exercitiorum Spiritualium Patronum sollemniter renuntiavit (A. R. III. 403); Opus Exercitiorum dilaudavit, asserens hoc esse tanti momenti, ut illud Sancta Sedes suum proprium habere et appellare posset; Opus Recollectionis Opificum Romae institutum saepe laudibus extulit et autographis litteris honestavit, ipsos opifices aliosque ad coetus Perseverantiae pertinentes semel atque iterum ad se recepit; et domum Exercitiorum conditam in pago Triuggio (Prov. Venetae) pulchra imagine SS.mi Cordis decoravit.

Maior autem Exercitiorum commendatio haberi non poterat ea quam ipse SS. Pater contexuit, cum litteras Encyclicas edidit « Mens nostra », Exercitiorum usum, ad pacem et felicitatem societati humanae restituendam et ad sanctitatem omnium promovendam, maxime commendans (A. R. VI. 190-206).

Alia Opera Societatis dilexit et fovit. Nec minus quam Opus Exercitiorum, alia opera Societatis dilexit et fovit. Apostolatum Orationis, Cruciatam Eucharisticam, Congregationes Marianas affectu vere paterno excipiebat, maxime cum ingentes Illi summas Missarum, Communionum, aliorumque piorum operum offerebant. Menstruas Apostolatus Orationis intentiones et Horologium Missarum ab eo oblatarum volebat ante oculos semper habere. Congregationes Marianas « Viam Lacteam in caelo Ecclesiae » nominavit. Locos citare ex A. R. aut Memorabilibus, in quibus haec iterum ac saepius recurrunt, nimis prolixum ac minus necessarium videtur. Confer tamen libellum « Acta Sanctae Sedis in favorem Apostolatus Orationis, regnante Pio PP. XI ». (Dir. Gen. Apost. Orat.).

Studiis Societatis maxime confisus est atque consuluit. Nonnulla de hac materie delibabimus ex Actis Romanis deprompta. Universitatem Pont. Gregorianam sincere amavit, et ad novum eius aedificium erigendum, catholicorum liberalitatem excitavit. (V. 249). — Eius Magnum Cancellarium ipsum Praefectum S. Congr. Seminarior. et Studiorum Universitatum esse voluit (VII. 57); cumque Em.mus Card. Bisleti vita cessit, ipse Summus Pontifex hoc munus sibi retinuit. — Magnopere gavisus est de

prompto animo, quo Societas novam Studiorum Constitutionem est amplexa (VI. 723, 726); et statuta nostrarum Facultatum illis accommodata libenter approbavit (VII. 606). — In multis nostris Collegiis Facultates erexit Theologiae et Philosophiae (VII. 62, 64). — Institutum Orientale cum Biblico coniunxit et Societati commisit (III. 407). — Eorum libros et commentarios passim libenterque accipiebat et collaudabat. — Ea rursus cum Universitate Gregoriana connexuit (VI. 36). — Gradus in Instituto Biblico conferendos decrevit (V. 42, 65; VI. 304). — Novas Facultates in Universitate instituit (VII. 60, 61). Institutum Culturae religiosae saepe laudavit atque promovit (VII. 113, VIII. 304). — Professores et alumnos horum Institutorum saepe humanissime excepit, eosque disputantes audivit (III. 429; V. 45; VI, 455; VIII. 420). — Ephemerides novas, libros conspicuos libenter probabat.

Nonnumquam his amoris et fiduciae notis adiungebat etiam Mecenatis liberalitatem. Collegio Kaunensi nuper in Lithuania fundato amplam eleemosynam 500.000 libellarum est impertitus. Editionem criticam Novi Testamenti a P. Merk concinnatam singulis alumnis Seminariorum Pontificiorum suis expensis distribui jussit. (Mem. IV. 253).

Illud est non solum caritatis sed intimae consuetudinis testimonium. Cum Patres nostri Hierosolymitani qui pro Instituto Biblico ad Mare Mortuum ruinas praehistoricas investigant, passeris imaginem reperissent temporibus Abrahamo antiquioribus expressam, eamque Summo Pontifici dicassent; misit ille paucos post dies ad Institutum Biblicum suos ministros, qui dicerent ova quaedam a lepido illo passere edita esse, quae melius in Instituto suum locum essent habitura. Quae dum dicerent, sat multos auri solidos (Libellas anglicas), ad investigationes praehistoricas promovendas, Pontificis nomine Patribus porrexerunt (Mem. IV. 232).

Diximus adhuc de amore Summi Pontificis erga res et opera Societatis. Dicamus de studio personarum.

Lumen Societati attulit multis eius filiis honoribus Sanctorum ornandis. Cum clavum Ecclesiae tenere coepit, Sanctorum splendore decorati erant 13 Societatis filii, sunt in praesenti 24; Beatorum aureola redimiti erant 89, nunc vero 141. Cursum honorum iniit Ven. Cardinalis Robertus Bellarmino, quem Pius XI, anno 1923, spretis adversariorum conviciis et calumniis, primum Beatorum honoribus, tum anno 1930 Sanctorum, anno 1931 Doctoris laurea cinxit. Eum secuti sunt S. Petrus Canisius, qui die 21 maii anni 1925 in Sanctorum et in Doctorum album rela-

tus est; Ven. Martyres Canadenses, qui anno 1925 Beati, anno vero 1930, novis multisque miraculis patratis, Sancti salutati sunt; B.tus Andreas Bobola, qui anno 1938, coram Patribus Congregationis Gen. XXVIII, supremis honoribus est insignitus, et cuius reliquiae amplissimo apparatu Poloniae restitutae sunt.

His magna successit Beatorum cohors: Martyres Eucharistiae et Parisienses (1926), PP. de la Colombière, Ogilvie, Southwell eiusque Socii (1929), P. Pignatelli (1933), Martyres Rioplatenses (1934). In his omnibus et in aliis, quorum causae huius Pontificatus tempore magnum impulsum habuerunt, Pontificis amor multum effulsit, nam vel eos viros promovit, quorum doctrina a quibusdam acerrime impugnabatur; vel eos qui antiquam Societatem cum recenti coniungebant, immo qui eo ipso tempore sanguinem pro Christo fuderant, quo Societas suppressa erat.

Accessit augmentum cultus, quo multi Sanctorum et Beatorum illustrati sunt. Sufficiat iubilaeum copiosissimum commemorare pro die S.ti N. Fundatoris concessum; gloriam tributam S.tis Francisco Xaverio, Aloisio, Stanislao, eorumque reliquiis, centenaria eorum commemoratione recurrente.

Huc pertinet magna sollicitudo in Nostrorum fama tuenda contra persecutorum iniurias. Cuius rei libenter Ille occasiones nanciscebatur. Ita cum die 4 maii 1930 Decretum de miraculis B.ti Bellarmino palam legeretur, publice Summus Pontifex testatus est, « Gloriam Societatis semper impugnatam esse... Bellum in eam geri rebus calumniose inventis, insectationibus iniustis, quae animis potissimum nocent, qui contra illas se defendere nesciunt. Sufficere oculos in calumniosa scripta conicere eaque examinare, ad videndum quam sint inania ».

Nunquam tamen Societatis defendendae curam tantam ostendit, ut cum Patres et Fratres nostros, propter votum quo Sanctae Sedi adstringitur Societas, ex Hispania pulsos, per Exc.mum Nuntium defendendos curavit. Ipse vero eos ut veros Martyres Vicarii Christi salutavit, et palma illa pulcherrima donavit, quae etiam nunc in Romana Curia magno honore servatur, praeclarissimo Sancti Patris testimonio apposito (Mem. IV. 248-252).

Filios Societatis militantis multum sibi caros habebat. A. R. Patre Nostro utebatur libenter, maxime cum eum videret Pontificis caritate non abuti, sed paratum semper esse suas et Societatis vires omnes contendere, ut Ecclesiae et Christi Vicario in omnibus oboediret. Ideo de Patris Nostri valetudine tam

sollicitus erat, ut aliquando materna etiam caritate illi provideret. Die 13 febr. 1937 per suum Cubicularium intimum, RR. Dm. Confalonieri haec verba ad Patrem Nostrum renuntiari voluit: « Scire Se eum die 11 febr. tertium et vicesimum Generalatus annum iniisse: et quamquam sciret Se in hoc infallibilem non esse, augurari tamen fore ut ad quintum et vicesimum eam gubernare pergeret, novamque postea periodum inciperet ».

Se, ut ita dicam, totum effundebat, cum coram videbat Patres et Fratres Curiae adscriptos, vel Patres Congregationum Generalium, vel Professores et alumnos Collegiorum. Aliquos de Societate specialissimo vinculo sibi devinctos haebre voluit: Emmos. Patres Purpuratos Ehrle et Boetto in Sacrum Ecclesiae Senatum vocavit; Patribus Societatis semper a Confessionibus est usus; Radium Vaticanum PP. Gianfranceschi et Soccorsi commendavit; unum e Nostris sedem in Basilica S.ti Petri ad Sacras Confessiones habere voluit; et speculam astronomicam ad Castrum Gandulfi Patribus nostris attribuit, tamquam si vel ipso tempore aestivo aliquos apud se Societatis filios retinere cuperet.

Amori et fiduciae Summi Pontificis respondit Societatis oboedientia, labor, sacrificium. Amorem singularissimum Summi Pontificis nihil melius ostendisse videtur, quam illa ipsa fiducia qua sperabat semper Societatem suo mandato et desiderio, etiam in rebus difficillimis, futuram esse devotam et promptam.

Multa sunt a Summo Pontifice Pio XI Societati commissa, quae nimiam Eius praedilectionem ab aliquo censeri poterant, cum nihil aliud notarent quam Summi Pontificis pro Ecclesia sollicitudinem, Societatis vero devotum sacrificium. Minime iucundus et honorificus censendus erat labor ille Patri Edmundo Walsh, (Maryl. N. E.), aliisque Nostris commissus, cum in Russiam et in Odessam a Summo Pontifice missi sunt, ad sortem christianorum et indigentium meliorem faciendam. Nec erat res naturam alliciens in Aethiopiam venire, ad speculam astronomicam condendam; ac tamen se Societas paratam ostendit, ad illud etiam munus amplectendum.

Facile non erat Societati, tot iam laboribus distentae, Professores in promptu semper habere ad nova Seminaria et Instituta regenda quae illi a Summo Pontifice committebantur. Christi autem Vicario nihil poterat Societas recusare. Itaque Seminarium regionale in Catanzaro, orientale

in Dubno, Maronitarum Romae et in Libano, Collegium Pio-Brasiliense et Russicum, Institutum Orientale, Paroecias S.torum Sabbae et Bellarmino Societas ex oboedientia suscepit, eaque erigere et florentia sustinere conata est.

Eo magis quod Christi Vicarius his fiduciae signis et verbis illa petebat, ut nihil Ei recusari posset. Volens Seminarium regionale Catacense Societati committere et sciens quantis iam oneribus esset oppressa, Patrem Nostrum die S.ti Parentis Ignatii ad Se vocavit, ut rem illi proponeret. Coepit tum Pater demisso et sincero animo difficultates exponere. Sed eum subito Summus Pontifex interrupit: — « Ne mihi hoc deneges, Pater mi. Ideo te vocavi die S.ti Ignatii, ne recusare posses, ipsumque S.tum Ignatium multum hoc mane rogavi, ut bonum a te responsum obtinerem ». — Fatebatur Ipse nonnumquam suaviter iocans, non esse hanc « qualemcumque fiduciam, sed *nimiam* fiduciam », neque Se a Societate adduci ut illa statueret, sed Motu proprio immo « propriissimo » facere.

Etiam parvis suis obsequiis gratam se Societas praebere studuit. Singulis annis solitus erat Pater Noster aliqualem stipem Suae Sanctitati offerre totius Societatis nomine, pro qua Summus Pontifex gratissimum se praebebat (A. R. VI. 23; VII. 285; VII. 438, 674). — Id maxime faciebant tum universa Societas, tum nonnullae domus aut Provinciae, cum dies magni gaudii pro Summo Pontifice recurrebant, ut cum annum egit 50um ab inito Sacerdotio, cum auxilium petiit pro Russis fame laborantibus et aliis. — Sollicitudo Societatis ad Diem Missionum ubique quam fructuosissime agendum notissima est omnibus eratque in primis grata Summo Pontifici.

Sed multo pluris quam stipem ab amantissimis filiis collectam, faciebat stipem spiritualem, quam Ei copiosissimam Pater Noster offerre studebat. 10.000 Missarum Illi obtulit in prima visitatione; 61.000 in Eius Iubilaeo. — Summas Missarum et precum ab Apostolatu Orationis, a Congregationibus Marianis, a Cruciata Eucharistica oblatis collegere et referre non audemus. — Ineunti Pontifici octogesimum vitae annum pollicita est Societas se singulis hebdomadis toto anno labente 800 Missas pro Eius salute oblaturam. — Statuit denique Congregatio Generalis XXVII ut in posterum omnes Societatis Sacerdotes, vita cedente Pontifice Maximo, ter Sacrum pro Eius aeterna requie applicare tenerentur (Coll. Decr. n. 289; A. R. V. 40). Quod Pater Noster curavit, ut post mortem Summi Pontificis quam citissime fieret, prout ipse post Congregationem promiserat.

Ultimum ac sollemnissimum venerationis et grati animi testimonium SS.mo Patri Pio XI tulit Societas, gravissimo fune-

re, quo Illi in templo SS.mi Nominis Iesu die 16 februarii parentavit.

Non describam tumuli et totius templi lugubre ornamentum. Praecipuum ornatum dabant adstantes sua dignitate, pietate et numero: A. R. Pater Noster cum omnibus RR. PP. Assistentibus et universa Curia; R. P. Provincialis Italiae cum Superioribus et Communitatibus Romanis; PP. Rectores Universitatis Pont. Gregorianae et aliorum Institutorum cum suis Professoribus; Alumni Collegiorum nostrorum Ecclesiasticorum; Alumni 400 Collegii gymnasialis « Massimo »; Apostolatus Orationis, Sodalitates Marianae, Cruciata Eucharistica, aliae Associationes et Christifideles plurimi.

Missam celebravit Exc.mus D.nus Aegidius Lari, Archiepiscopus Tyri, quam Alumni Coll. Pii Latini Americani suis concentibus comitati sunt. P. Galilaeus Venturini orationem habuit gravissimam, facta praecipua Summi Pontificis enarrans, quae omnia spiritu supernaturali illustrata esse demonstravit. — Omnium in hoc commentario dictorum optimum compendium exhibet titulus ostio templi appositus, qui sic se habebat:

P I O . X I . P O N T . M A X .

QUI PACI CHRISTI IN REGNO CHRISTI PROMOVENDAE
IMPIGER INTENTUS
SACERDOTII CATHOLICI DIGNITATEM CASTI CONNUBII DECUS
SACRAS EXPEDITIONES LAICORUM APOSTOLATUM
CHRISTI REGIS IURA EIUSQUE SACRATISSIMI CORDIS CULTUM
ASSERUIT VINDICAVIT PROMOVIT
ET DEIPARA IMMACULATA PRAESTITE
AEQUO FOEDERE ICTO
ITALIAM SEDI APOSTOLICAE RECONCILIAVIT

S O C I E T A S I E S U

IUSTA PERSOLVIT

ASSISTENTIA ITALIAE

Quartus conventus internationalis ad "Missam dominicalem" commendandam

Dictum est in Vol. VI (195-198) de origine et progressu laboris adhibiti ut populus christianus ad Missam dominicalem audiendam induceretur. Ineunte decembri 1938 habitus est Romae quartus conventus internationalis virorum quibus sacrae huius legis observatio cordi est. Non singulas eius deliberationes percurremus, sed ea tantum innuemus, quae Fratribus nostris utilitatem aliquam putamus allatura.

Non "opus novum", sed "motus". — Ad omnem invidiam et suspicionem tollendam, multam curam adhibent huius apostolatus promotores ne « opus » aut « consociatio » dicatur. Eum appellant « motum, impulsum » (« mouvement ») omnesque familias religiosas et pias consociationes ad eum iuvandum invitant.

Non Societatis Iesu proprium, sed omnium Sacerdotum et Religiosorum. — Etsi ubi primum hic apostolatus a Summo Pontifice commendatus est et ab Exc.mo Episcopo Lapurdensi et a D.no Waterkeyn susceptus, ei Societas toto animo adhaesit et per Apostolatum Orationis et per Foedera SS. Cordis opem navare coepit, omnem tamen praelationis speciem declinare conatur, ne ceteros a tam sancto labore deterreat. Conventui nuper habito praefuit Rev.mus Generalis Abbas Canonicorum Praemonstratensium, adfueruntque delegati 31 familiarum religiosarum, inter quos Patres quattuor Societatis, P. Zeij, Director Deleg. Apostolatus Orationis, P. Boubée, Secretarius Gen. Cruciatae Euchar., P. Parra, Director Apost. Or. in Gallia, P. Meeus, Director Foederum SS. Cordis in Belgio et delegatus Em.mi Card. van Roey.

Media ad hunc apostolatum adhibita. — Primum est *Oratio*, maxime communis, in hunc finem oblata, quam omnes huius apostolatus promotores enixe commendant. — *Hebdomadae informationis*: per aliquot dies habentur cotidie sessiones, ubi caerimoniae Missae a Sacerdote fiunt (dempta consecratione), dum

alius singulas eius partes et paramentorum historiam et significationem explicat. Auditores aliquando tam frequentes accurrunt, ut complura milia numerentur. — *Diffusio librorum et libellorum* obligationem et fructum Missae declarantium. Londini paucis mensibus eorum 52.000 distributa sunt. — *Missiones populares,* in quibus Missam audiendi obligatio iterum ac saepius commendatur. — *Ordinatio aliarum caerimoniarum in hunc finem primarium.* — Ideo Excmus. Episcopus Lapurdensis praecepit, ut coram omnibus peregrinorum coetibus Lapurdum venientibus semel saltem de obligatione Missae dominicalis sermo fieret. — *Generosa omnium Sodalitatum collaboratio*: Actionis Catholicae, Apostolatus, Congregationum, Jocistarum, etc. — *Congressus Eucharistici* sive nationales sive mundiales. Mirum est enim quantus et quam diuturnus fructus eorum exsistat. — In Belgio nonnulli parochi *tabulas ad oppidi aditum fixerunt,* quibus homines die dominico iter facientes de obligatione Missae et de horis quibus in illo oppido celebraretur commonefierent. — Alicubi paratur *exhibitio chori scenici*, Missae praestantiam commendantis.

Fructus ex hoc apostolatu adhuc collecti sunt: — Primus quidem ipsius apostolatus diffusio, qui in Anglia, Belgio, Brasilia, Canada, Gallia, India, Italia, Neerlandia 153 dioeceses pervasit. In Anglia 214 centra numerantur. Centra independentia sunt, rogantur autem ut informationes ad centrum generale mittant, quo efficacior fiat propagatio. — Alter fructus est maior Missae dominicalis frequentatio. Lovanii post « Hebdomadam Missae » numerus eorum qui praecepto Dominicali obediunt 40 pro cento maior quam prius esse dicitur. Simile quid fertur de aliis paroeciis. — Faxit Deus ut efficax hic apostolatus christianos omnes Christi Regis imperio iterum submittat. (*L'Oss. Rom.* 8-10 dec. 1938).

Virtus quaedam secreta Missionum popularium

Per duas hebdomadas, a die 13 ad 28 nov. 1938 Patres 12 Societatis Sacrae Missionis ministeria in sex praecipuis paroeciis Salernitanae civitatis magno civium fructu obierunt. Sacram expeditionem indixerat Exc.mus Archiepiscopus D. Nicolaus Monterisi; eam paraverat et direxit P. Iosephus Golia, qui vigesimum iam annum in hoc ministerium incumbit, ei diligenter

operam navarunt non modo Patres Missionarii aliique Neapolitanae Provinciae, sed multi R.di Sacerdotes saeculares.

In ordine Missionis describendo non immorabimur: Exercitium matutinum cum Sacro et meditatione ascetica; postmeridianum cum dialogo dogmatico aut morali; vespertinum pro solis viris, a nautis et operariis maritimis valde frequentatum. Exercitia singularia pro pueris, puellis grandioribus, feminis. Vigilia eucharistica pro solis viris. Coemeterii visitatio. Institutio Foederis perseverantiae cui statim viri plus mille adhaeserunt.

His breviter dictis, minime supersedere possumus, testimonio clarissimo Exc.mi Archiepiscopi, qui gratias agens Patri Nostro pro sua in eam missionem benevolentia, vim quamdam secretam revelat nostrarum Missionum, quam ita describit:

« Dominus benedixit nobis, fructus copiosi fuerunt; die dominica 5000 virorum sacrae mensae accubuerunt; dies hesterna, quam defunctorum memoriae consecravimus, homines vidit in coemeterio coadunatos plus quam 10.000, tametsi dies erat operosus, et quamquam civium numerus (exclusis suburbiis) 60.000 non excedit.

Mea quidem vita in occasum decurrit. Meum esse puto profiteri ter mihi Deum concessisse ut Patres Societatis magnis expeditionibus sacris me iuvarent: Barioli (Barletta), cui Parochus praeeram anno 1909; Theate (Chieti) anno 1925; Salerni anno 1938; semperque, non ego solus, sed populus universus copiosum et manifestum ex eis fructum et solacium cepimus.

Proxima haec missio aliis duabus dupliciter antecellit: Instructione per dialogum habita, quae populum efficacissime tetigit; et duplici cotidiano exercitio: communi, scilicet, pro utroque sexu, et peculiari pro solis viris, quod fuit mea exspectatione praestantius.

In hunc felicem exitum et nunc contulerunt et semper conducere solent: 1) Methodus logica et seria S.ti Ignatii; — 2) Matura praeparatio contionatorum tum in theologia, tum in generali cultura; — 3) Perfecta accommodatio rerum veritati et necessitati nostrorum temporum; — 4) Gravitas in agendo, quae tum in aliis viget, tum in abstinendo a propagandis imaginibus aut devotionibus peculiaribus suorum sanctorum, in non petendis pecuniis pro institutis propriis, in non copulandis singularibus nexibus. Cum ex urbe discedunt, nullum sui vestigium relinquunt, praeter caelestem doctrinam a se traditam. Id non modo Cleri aversionem nullam suscitat, sed eius benevolentiam conciliat.

Liceat mihi modestum desiderium exprimere, ut scilicet Provincia Neapolitana Societatis hoc Missionum ministerium colat, virorum salutem maxime ante oculos habens. Equidem hanc censeo unam e maximis nostri temporis necessitatibus, non certe minorem, quam institutionem iuventutis in collegiis, in scholis, in Seminariis ».

Haec quidem Venerabilis Praesul. Sed verbis non contentus, enixe rogavit ut in sua civitate Residentiam Societas conderet, pro qua statim antiquum eius templum, Virgini Perdolenti sacrum, nobis concederet.

Experimentum peregrinationis in tirociniis neapolitano et romano

Diximus in volumine praecedente (498 et 667) de experimento peregrinationis facto in Provinciis Canadae Inferioris et Belgii Meridionalis. Etiam in Provincia Neapolitana paucis abhinc annis renovari coepit. Accipite breve compendium optimae descriptionis anno superiore ad nos missae.

Sub finem mensis aprilis 1937 novicii 15, quinque agminibus distributi, peregrinatum iverunt. Quo efficacius indifferentiam et fiduciam exercerent, solum iter primi diei cognoscebant. Reliqua paulatim erant sciturі, sigilla aperientes involucri ab eis accepti. Cum singulorum itinerum finem attigerant, duos tresve dies in eodem loco manebant in Seminario, in domo religiosa, apud Parochum aut Sacerdotem Superioribus notum. His omnibus scripserat prius P. Magister de die quo novicii venturi erant, et de ipsius peregrinationis fine et modo. Maxima ab omnibus caritate excepti sunt, praesertim ab Exc.mis Episcopis, quorum nonnulli eos apud se divertere voluerunt.

Tempus quo in urbe manebant, nequaquam otiosum ducebant. Vix enim hospitio recepti erant, labori se dabant. Cotidie duo eorum Seminaristis, orphanis, aegrotis, Sacerdotibus Exercitia peragentibus cibos ministrabant, dum tertius ad mensam legebat; postea catinos et cetera instrumenta lavabant; tum demum ad mensam soli sedebant frigidis aliquando ciborum reliquiis contenti. Haec ad prandium et coenam. Interdiu in templum vel in nosocomium veniebant, pavimentum accurate et strenue mundabant, vel pedes, manus, capita senum derelictorum lavabant.

Eleemosynam petebant, argentum respuentes, postea vero congregatis pauperibus christianam vitam et patientiam commendabant, pedes osculabantur et, magna spectantium et eorumdem pauperum admiratione, accepta dona porrigebant.

Nec operibus misericordiae corporalis contenti erant. Omnibus enixe commendabant ut familiam SS.mo Cordi Iesu consecrarent, utque prima quaque feria VI Communionem per menses novem frequentarent; preces mensis mariani in templo dirigebant easque aliquando brevi sermone declarabant, doctrinam christianam et Iesu Christi vitam, dialogo inter se vel cum pueris habendo, illustrabant.

Summa eorum quae a 15 peregrinis gesta sunt haec datur: — Dioeceses adierunt sedecim, catechismum docuerunt quadragies, carceres viserunt quinquies, nosocomia et hospitia bis et tricies, pauperibus succurrerunt plus ducenties, panis distribuerunt 150 kilogrammata, aliarum escarum 100.

Fructus ipsi perceperunt suavissimos: Experientiam et amorem paupertatis in victu, in lecto, in itineribus, in incommodis valetudinis; amorem et reverentiam erga pauperes; vani hominum timoris neglectum; fidam regularum observantiam, amorem Societatis, desiderium vitae communis; spiritum denique orationis, quam saepe in itinere vel inter laborandum exercebant cum Iesu et Maria colloquentes.

Parochi, Superiores et praesertim Episcopi litteras ad P. Magistrum dederunt admirationis erga peregrinos et amoris erga Societatem plenas.

Peregrinatio in Tirocinio Romano. Per annos 30 (1906-1937) interruptum erat hoc experimentum in hoc tirocinio. Die 14 maii 1937 venit iterum in usum. Tres Novicii diebus novem ad Sanctuarium B. V. Mariae a Bono Consilio in Genazzano peregrinati sunt. Viguit in hac peregrinatione potissimum caritas Nostrorum et aliorum Religiosorum qui Fratribus nostris hospitium praebuerunt, et pietas in B.mam Virginem, quam Fratres in eius aedibus experti sunt et toto itineris tempore diffuderunt. (Not. della Prov. di Roma, 1937).

Apostolatus P. Petazzi apud homines eruditos

Tergestum (Trieste) civitas est, quae ob condiciones ethnicas, politicas et religiosas cultura philosophica et religiosa modo specialissimo indiget. Huic necessitati consulit P. Petazzi (Veneto-Med.) dirigens aliquot iam abhinc annis « Cursum Culturae Superioris », in quo adhuc de rebus quae sunt Christianae Religionis fundamentum disseruit: de Deo, de anima, de origine hominis, de eius fine, de revelatione, de Iesu Christo, de Ecclesia. Harum lectionum schemata typis mandata magni fiunt a Professoribus Religionis. Volumen de Deo cito exhaustum iterum

typis mandatum est. — Egit hoc anno de problemate morali, in quo nonnulla dicenda fuerunt de Antisemitismo. Fructus fuit ut decem Hebraei Iesu Christi fidem amplecterentur, quos alii propediem secuturi erant. Verba fecit etiam de Razzismo et de Occultismo pro necessitate temporum. De quibus omnibus non Tergesti solum sed in multis aliis urbibus Prov. Venetae in theatris et in aulis associationum disputavit. (I Gesuiti, sept.-oct. 38).

Academia Bellarminiana scholasticorum Prov. Romanae

Sub directione P. Augustini Garagnani instituta est die Imm. Conceptionis 1936, in Aedibus Borromaeis, apud Scholasticos Prov. Romanae, « Academia Bellarminiana ». Eius finis est Theologos munire ad apostolatum Societatis nostrae proprium exercendum; Philosophis autem viam sternere ad magisterium in Collegiis fructuose ineundum. Sessiones habentur altera quaque hebdomada, in quibus verba faciunt vel ipsi Socii vel Patres aut Laici in hunc finem a Superioribus invitati. Plures eiusmodi disputationes habitae sunt anno 1937 de Praefecto Convictorum, de Communismo, de ministerio Sacerdotum apud iuvenes Actionis Catholicae, de vocationibus in Societatem suscitandis.

Anno 1938 a die 3 ad 8 octobris orationes quinque habitae sunt de Actione Catholica a viris in ea promovenda conspicuis: ab Em.mo Card. Pizzardo (Direct. A. C.) de eius natura et praestantia; a Rev.mo D.no Ferdinando Roveda (Rect. Coll. Nepomuceni) de normis a Summo Pontifice datis; a P. Ios. Filograssi (antiquo Prov. et Decano Theol. in Univ. Greg.) de A. C. et de operibus Societatis illam respicientibus; a P. Mariaux (Secret. Gener. CC. MM.) de Congregationibus Marianis et A. C.; ab honor. Doct. Mario Cingolani (clarissimo catholicorum lumine) de virorum officio in A. C. Haec sola oratorum enumeratio satis ostendit, quantam gerant Superiores curam Academiam Bellarminianam fovendi et fructuosam reddendi.

In Sicilia Studentes universitarii sollicite excoluntur

Diffusio Philosophiae S.ti Thomae. P. Salvator Cultrera, Professor Philosophiae in Collegio Catanensi, ab Universitariis Catholicis invitatus, eorum Coetui philosophico tribus iam ab-

hinc annis praeest. Quaestiones maxime hoc tempore disputatas illis enucleat, ita ut iuvenes, qui saepe in lyceo et universitate graves errores audire coguntur, veram eis doctrinam opponere discant. Huius Academiae Socii Catanae, Neti (Noto) Messanae virtutis et eruditionis exemplum dederunt, et in conventu Foederis Universitariorum Catholicorum (« Fucini »), Beneventi mense aprili superioris anni celebrato, de Sto. Thoma magno plausu disseruerunt.

Propagatio Missionaria. Ad eorumdem iuvenum amorem in Missiones exteras fovendum, P. Agrippinus Jaluna, eiusdem Collegii Professor, saepe apud illos de Missionibus disputavit; sedulo illi aures praebuerunt, maxime cum sermo de Missionibus Aethiopicis habitus est. Ipse Pater librum edidit de praeclarissimis Provinciae Siculae Missionariis, quo iuvenum animos bene in Societatem affectum iri speratur.

Spirituale Iuvenum adiumentum. Foedus Catanense Iuventutis Catholicae res ad morum puritatem pertinentes per dies quattuor duce P. Michaële Sileci consideravit. His finitis, in sacellum nostrum frequentes convenerunt, et S.tum Aloisium puritatis Patronum elegerunt. Postea in hortum venerunt, ibique omnes simul Rosarium B.tae Virginis elata voce recitarunt, cuius mysteria ipsi iuvenes breviter exponebant. Saepe domum nostram petunt, ut in orationem et in pium secessum incumbant.

Pontificium Collegium Leonianum

Seminarium Anagninum, Leonianum vocatum, clarum exemplum nobis exhibet Congregationem Marianam cum Actione Catholica coniungendi. Floret in eo Sodalitas Mariana, quae prout eius leges et natura postulant, ministeria apostolica pro viribus exercebat. Die autem 17 dec. 1937, cum generalis eius conventus habitus esset, statutum est ut eius Sodales in septem Theologorum et Philosophorum sectiones distributi, totidem sectiones Actionis Catholicae constituerent, quae inter se unitae, « Foedus internum Actionis Catholicae » dicerentur. Singulae Sectiones suum habent Praesidem et Consiliarium Ecclesiasticum, qui Consilium Foederis efficiunt; Patronum habent et breve dictum sociorum vota quodammodo exprimens: « Mihi vivere Christus est », « Da mihi animas, cetera tolle », « Pax et labor », « Ardere et ascendere ». Omnes habent opera sua apostolica, quae a consilio foederali coordinantur.



Tabula in introitu pagorum apposita, qua itinerantes ad Missam dominicalem audiendam invitantur his verbis: « *Romano-Catholici peregrinantes, implete vestrum dominicale officium. Hic sancta Missa celebratur hora 6, 7, 8, 9* » (Cfr. pag. 10).



Inauguratio tirocinii et Scholae Apostolicae Peruvianae (Cfr. pag. 40).



Nova Domus Exercitiorum Genuensis.
(Cfr. vol. VI. 713).



Prospectus e nova Domo Exercitiorum in urbem Genuensem.
(Cfr. vol. VI. 713).

Charta geographica terrae universae a P. M. Ricci confecta

Die 21 decembris P. Paschalis D'Elia (Neapolit.), Professor Sinologiae in Universitate Gregoriana, exhibuit coram selectissima corona editionem a se paratam chartae geographicae praestantissimae a P. Ricci confectae. Post annos quattuor assidui laboris, perfecit Pater translationem italicam illius operis, eamque edidit in volumine regio et amplissimo 300 pagellarum, mensuram habentium 58 centimetra altitudinis, 46 amplitudinis.

Liber editus est cura et sumptibus Bibliothecae Apostolicae Vaticanae et continet commentaria duo, historicum unum, alterum scientificum. Cuius adspectu ita Summus Pontifex delectatus est, ut P. D'Elia illud sibi offerentem fere per tres horae quadrantes secum retineret, eum numismate donaret, dicens illud revera esse numisma merito concessum, et opus ipsum in Bibliotheca Vaticana reponere iuberet, una cum editione operum Ptolemaei, quam aliquot abhinc annis curaverat P. Ios. Fischer (Germ. Sup.). Postea Em.mus Cardinalis Pacelli gratulationem amplissimam Pontificis nomine adiecit, quam in Actis Romanis, Deo volente, legetis. (Cfr. *L'Oss. Rom.* 24 dec. 1938).

Seminarium minus Societatis in Vico Aequensi (Neapol.)

Alumni suam vocationem religiosam triduano studio et oratione colunt. Floret in Seminario minore Neapolitano iam ab anno 1915 Congregatio Mariana sub patrocinio B. V. Mariae, Reginae Societatis Iesu; cui cum novam vitam sodales infundere vellent, in ultimos dies superioris anni hebdomadam orationis et studii indixerunt.

Dicendi et disputandi argumentum fuit « Vocatio religiosa »: conveniendi tempora sic distributa sunt: *Die 28 dec. 1937* conventus initium factum est senibus in hospitio visitandis, invocatione Spiritus Sancti, benedictione eucharistica et oratione inaugurali in aula maxima. — *Diebus 29, 30, 31* meditationem explanavit P. Director de Sacerdotio, de Religioso, de Missionario; Missa celebrata est cum cantu; duae sessiones ante meridiem (recreatione interruptae) et tertia post prandium habitae sunt; quae benedictione eucharistica claudebatur. — *Die 1 ianuarii* praeter Missam et benedictionem sollemniore ritu celebratas, ut talem diem decebat, habita est sessio finalis et hora adorationis eucharisticae pro Vocatione. — *Die 2* rusticatum est et ad B.tam V. Mariam Pompeianam peregrinatum.

Sub finem congressus summa lecta est propositorum in eo initorum. Hi vero fuerunt: Ut omnes in posterum curarent claram vocationis ideam habere; ut omnes generosa sui deditione vocationis ideale vivere conarentur; ut ad eam sequendam se pararent cotidianis officiis spiritu supernaturali adimplendis; ut crescerent in amore B. V. Mariae, in puritate et caritate fraterna; ut singulis mensibus diem vocationis celebrarent; ut novus fieret conventus de Congregatione Mariana.

Fructus fuit ut multi vocationem melius cognoscerent, aliqui vacillantes in ea confirmarentur, omnes eius amore crescerent. (Apostoli di domani, feb.-mart. 1938).

Hebdomada studii de Congregationibus Marianis. Quod in priore congressu statutum erat, ut in futuro conventu daretur opera Congregationibus Marianis melius cognoscendis, id a die 28 aug. ad 4 sept. 1938 peractum est. Oratores in eo fuerunt non solum delecti Seminaristae, sed R. P. Provincialis, P. Rector, multique alii Patres et Professores gravissimi, et aliqui FF. Philosophi, Iuniores et Novicii, ita ut quodammodo fieret Provincialis Congressus de CC. MM.

Partes duas habuit, quibus expositum est: Quid Societas Congregationibus, quid Congregationes Societati dedissent. Illa quidem spiritum, directionem, primum locum in suis apostolicis operibus; hae vero optimos Sodales, praeclaros apostolos saeculares, optimorum iuvenum vocationes.

Addite illustrationes practicas: Expositionem Marianam, Academiam marianam, modum celebrandi actum Congregationis, modum habendae consultationis, relationem de statu CC. MM. in Provincia; adiungite actus pietatis: invocationem Spiritus Sancti, adorationem eucharisticam pro vocationibus, Missam in aperto, Te Deum, pompam vespertinam in viridario cum faculis et consecratione B.tae Virgini, sessionem denique recreativam; fingite animo ornatum, musicam, plausus, laetitiam, proposita, et habebitis aliquam huius hebdomadae notionem. Omnia luculenter et bellissime describit folium « Apostoli di domani » (oct.-nov. 1938).

ASSISTENTIA GERMANIAE

Apostolatus orationis incrementum

In gravibus aerumnis quibus magna pars huius Assistentiae vexatur spes illa maxime collucet, quod catholici maiore in dies constantia et nisu orationis armis utuntur. Audite quae de vita acta his duobus annis ab Apostolatu Orationis in Annuario 1939 referuntur.

Apostolatus incrementum. Apostolatus Orationis in Germania sedes habet pro viris et iuvenibus 3.445; pro pueris et puellis Cruciatae Eucharisticae 564. — Ex.mus Episcopus Auxiliaris Coloniensis Cruciatam nuper commendavit in 50 paroeciis, in quibus Confirmationem pueris impertierat. — Fuldae congregati sunt zelatores virorum, Praeside Ex.mo Episcopo Coadiutore et praesentibus compluribus R.dis Decanis; etiam Monasterii (Münster) Episcopus Auxiliaris 600 zelatores virorum in tres conventus vocavit; Monasterii denique et Coloniae 800 zelatores recessum diurnum duodevicies habuerunt.

In multis Seminariis alumni omnes Apostolatui Orationis nomen dederunt; Sacerdotes libenter de eius scopo et mediis certiores fiunt. Eius « Intentiones » in multis Kalendariis dioecesanis et in 22 periodicis foliis nuntiantur. In 12 dioecesibus ad valvas templorum proponuntur.

Vigiliae eucharisticae virorum. Illud autem fervorem virorum maxime commendat, quod in quibusdam urbibus (Coloniae, Friburgi, Krefeld) vigiliae eucharisticae pro solis viris singulis mensibus habentur. Forma solet haec esse: vigilia nocturna in uno civitatis templo celebratur, in quod singulis horis vel altera quaque hora viri ex una vel pluribus paroeciis concurrant. Videres viros ex omni classe sociali adesse: operarios qui sui laboris vestem deponere nequiverunt vel eam induerunt, ut cito post vigiliam in officinam venirent; homines studiis deditos, negotiorum

auctores, secerdotes. Omnes adsunt, orant, canunt tanto devotionis affectu, ut Dei praesentia Eiusque cum praesentibus collocutio quodammodo sentiatur. Testis quidam octogenarius, qui tempore insectationis dictae « Kulturkampf » magnam catholicorum commotionem viderat, negat se hunc in orando fervorem umquam cognovisse. Dum christifideles vigilant, Missae celebrantur, Coloniae quidem horis 12,30, 2,30 et 4,30. Semper adsunt Confessarii et Sacra Communio distribuitur. Aliquando ipse Em.mus Cardinalis hoc munus suscepit et pulchram de nocturnis Divini Servatoris et Sanctorum vigiliis orationem habuit.

Missio Lettonico-Estonica

Lettonia regio est 65.792 kilometra in quadrum lata, ad sinum Rigensem, inter mare Balticum, Estoniam, Russiam et Lituaniam se protendens. Incolas habet 2.000.000, natione maxima ex parte Lettones, quibus tamen, descendente proportione, admixti sunt Russi, Iudaei, Germani, Poloni, Estones. Si religionem spectes, 1.350.000 protestantes sunt, 480.000 catholici, 180.000 orthodoxi, circa 100.000 iudaei, ceteri aliarum sectarum. Riga, urbs princeps 390.000 civium numerat, quorum 40.000 catholici sunt, ceteri plerumque protestantes.

Hunc campum antiqua Societas valide coluit. Egregius P. Skarga (Mem. V. 721) Collegium Rigae fundavit (1583), quod propter Swedorum protestantium incursiones varias subiit vicissitudines, donec in urbem Wenden (Cesis) translatum est. In urbe Düneburg (Dvinsk-Daugavpils) habuit Societas in Alba Russia superstes Domum alterius et tertiae Probationis, quae Novicios 60 continebat, cum P. Roothaan Societati nomen dedit (1804). Anno 1820, cum Societas ab Alexandro I extra fines Russiae pulsa est, e Lettonia etiam exsulavit.

Anno 1937 in eam regionem Societas rediit, ubi Missionem constituit a Patre Nostro directe dependentem. Patres numerat 4: R. P. Constantium Kolfschoten (Neerland.) et tres Patres Lettones; Scholasticos 5, quorum tres Theologiae Romae dant operam, duo Philosophiae in Anglia et in Polonia; Coadiutorem unum, Novicium. — Non levem illi Patres sustinent laborem. Paroeciam regunt in urbe Riga, ubi pro varietate gentium linguis lettona, polona, lituana contionantur. Florent in ea Apostolatus Orationis et Congregatio Mariana. Nonnulli orthodoxi catholicam religio-

nem amplectuntur. — Nostri religionem catholicam docent in scholis publicis, pro quo stipendium a Gubernio protestantico accipiunt. Praeterea cum ipsum Gubernium Theologicam Seminarii catholici Facultatem iure Facultatis publicae donaverit, Patres nostri alius quidem Sacram Scripturam, alius Ethicam et Philosophiam in eo profitentur.

Die 20 decembris 1938 statuit A. R. Pater Noster ut haec Missio cum Estonica uniretur, quae adhuc a Provincia Lituaniae pendebat, essentque Missio independens, Assistentiae Germanicae adscripta. Ipse P. Kolfschoten novae Missionis Superior est constitutus (Mem. VI. 560-561; 641-642; A. R., IX. 239).

Studium animorum in Neerlandia

Domus Exercitiorum in Neerlandia non otiantur. Anno 1938 domus *Spaubeek* 69 habuit recessus, viros 3.615, quorum 2.058 Exercitia tum primum peregerunt; — domus *Venlo* 75 recessus, viros 3.935, novos 2.197; — domus *Vught* 63 recessus, viros 3.416, novos 1. 618. — Universim: 207 recessus, viros 10.978.

Quanto nisu optimi huius operis propagatio fiat apparet ex sequentibus: Die 22 ianuarii huius anni 20 Patres contiones habuerunt de opere Exercitiorum in omnibus ecclesiis urbis Eindhoven.

Collegium Maximum Traiectense ad Mosam bibliothecam habet semper paratam, ad homines cuiuscumque religionis excipiendos, qui libros de religione legere cupiant. Quo huius operis notitia et utilitas latius diffundatur, catalogus huius bibliothecae in catalogo bibliothecae regiae inclusus est, ita ut hunc consulentes, ad libros Traiectenses legendos alliciantur.

ASSISTENTIA GALLIAE

"Viae ardentes" marianae

Egimus in volumine superiore (VI. 645) de Congressu Mariano Boloniae in Gallia a die 20 ad 24 iulii celebrato, ad consecrationem anno 1478 a Ludovico XI factam, commemorandam. Ut universa dioecesis Atrebatensis (Arras) amore B. V. Mariae accenderetur, ornatae sunt tres sacrae expeditiones « Viae Ardentes » appellatae, quarum fusiorem descriptionem e litteris ad nos nuper delatis promere iuvat, fuerunt enim magnae utilitatis et imitatione dignae videntur.

Die 8 maii, quo S.tae Ioannae de Arco memoria colitur, Ex.mus D.nus Dutoit, Ep.pus Atrebatensis, sacram benedictionem in templo cathedrali tribus imaginibus B.tae Mariae Virginis impertitus est, quae curribus impositae, plurimas paroecias illius dioeceseos lustraturae erant, donec omnes simul, statuto die, cum totidem peregrinorum turmis Boloniam convenirent.

Eundi modus hic erat. Populus apud quem imago B. Virginis per integrum diem diversata erat, triumphum marianum in sequens oppidum ornabat. Principes ibant adolescentes quamplurimi suis bicyclis vecti, qui multis floribus collucebant; iuvenes sequebantur, equis quam speciosissime phaleratis insidentes; tum populus universus sublatis vexillis et in consociationes distributus. Currus ipse B.tae Virginis equis quam praestantissimis trahebatur. Interea cives ex oppido vicino totum illud vexillis, aulaeis, floribus ornaverant, et obviam carae Matri veniebant, eamque multis canticis et precibus in templum comitabantur.

Cultus Marianus in singulis oppidis. Hic, deposita imagine, et postquam populus suae pietatis fervorem erumpere quodammodo siverat, sacer contionator laudes B.mae Virginis eiusque amorem in gentem Gallicam extollebat. In hoc multum Patres nostri laborarunt, siquidem Insulana et Boloniensis Residentiae contionatores decem dederunt; immo quartam « Viam ardentem »

a P. Ranson in dioecesi Insulana (Lille) institutam, soli fere Patres nostri suis contionibus inflammarunt.

Finita contione multi christifideles corda e metallo inaurato, petitiones et vota continentia, B.tae Virgini offerebant, quae currui imposita Boloniam deferenda erant. Nec Matrem deserebant, quamdiu apud eos versabatur. Die noctuque homines Rosarium ad eius pedes recitantes sibi succedebant, Missamque et Sacram Communionem magno numero frequentabant.

Cum tempus aderat in aliud oppidum veniendi, unus e Contionatoribus populum iterum hortabatur, eique SS.mae Matris nomine gratias agebat. Facile capitis quanto animi ardore omnes Sacram Imaginem in proximam stationem comitarentur.

Fructus horum itinerum, quae fere 2.500 kilometra longa fuerunt, numerari possunt complures. Oppida 293 hac Missione Mariana lustrata et exculta sunt, vis et praestantia qua Sancta Ecclesia etiam nostris diebus viget patefacta est; unio animorum ex omni classe, divitum, pauperum, opificum magnopere crevit. Peccata purgata, vitae emendatae, beneficia a B.ta Virgine expetita et obtenta solus Deus eiusque SS.ma Mater noscere possunt. (E litteris P. Gosselin, Relatoris).

Corpora PP. Olivaint et Sociorum Parisiis exhumata et recognita

PP. Petrus Olivaint, Leo Ducoudray, Alexius Clerc, Ioannes Caubert et Anatolius de Bengy, diebus 24 et 26 maii 1871 a « Communistis » Parisiensibus trucidati sunt, specie quidem tamquam « Obsides » factionis communisticae, re ac veritate in odium fidei. Eorum corpora in templo nostrae Residentiae, ad viam « de Sèvres », prope altare SS. Martyrum Iaponensium, mense iulio eiusdem anni, separatis loculis sepulta sunt. Cum nuper processus apostolicus ad eorum beatificationem parandam finem habuisset, felix illi clausula, eorum reliquiis exhumandis et recognoscendis imposita est.

Die 24 nov. 1938, apertis iam loculis die superiore, R. P. Viceprovincialis Marcellus Bith, ianuis clausis, Missam celebravit, assistentibus duobus medicis et ministrantibus duobus chirurgis qui exhumationem erant effecturi. Accesserunt, finito sacro, sex sacerdotes, quibus tribunal constabat, P. Vice Postulator et duae Sanctimoniales S.ti Vincentii, qui omnes, iureiurando dato, veneranda corpora detegere et examinare coeperunt: duo quidem ante prandium, cetera post meridiem.

Quaecumque ad unum martyrem pertinebant, una cum ipsis arcae reliquiis, in sindonem imposita, in Sacrarium ducebantur, ibique medici ossa omnia accurate legebant, Sorores ea sollicite mundabant, chirurgi componebant, ita ut, quantum fieri poterat, corpus integrum haberetur. Tum technici fracta ossa examinabant, essentne glandibus an malleis percussa an naturali condicione dilapsa. Ita conicere potuerunt quibus vulneribus singuli martyres confecti essent. Quibus actis, ossa, cineres, glandes plumbeas, ligna magna veneratione servabant, et novi loculi investigationem aggrediebantur.

Prandio assederunt viri omnes qui laboris matutini participes fuerant, una cum Exc.mo D.no Chaptal, Episcopo Auxiliari, qui magnam ostendit benevolentiam erga Societatem, erga Martyres fiduciam. Post prandium mansit Exc.mus Dominus una cum R. P. Viceprovinciali aliisque Patribus invitatis, ad sacras exuvias R. P. Olivaint detegendas et examinandas. Omnes, in primis medici et chirurgi, magnam gratiam habuerunt, quod in re tanti momenti ac pietatis suam operam impendere potuissent.

Locus martyrii pie colitur

Interea in via Haxo, ubi venerabiles obsides sanguinem fuderant, divina beneficia spargi coeperant. Paulo post eorum martyrium parvum ibi sacellum in eorum memoriam exstructum est, quod iterum ac saepius diruendum et ampliandum fuit, locus enim prius desertus frequentior in dies fiebat, pauperum familiis illic accurrentibus. Parva tandem nostrorum Residentia ibi est constituta, et, omnibus sollicite suam operam conferentibus, novum templum exstructum est, a paroecia B. V. M. Lapurdensis dependens, quod die 23 octobris 1938 aquam lustralem accepit ac Sancto Missae Sacrificio sanctificatum est.

Cito Servator amantissimus novum beneficium simplicibus christifidelibus contulit. Rogante enim R.do Parocho paroeciae Lapurdensis, a die 28 nov. ad 24 decembris Sacrae Missionis contionibus ac piis operibus exculti sunt.

Liceat quaedam ex hac missione strictim attingere, si cui forte aliquid imitatu dignum suggerant: a) *Aderant consueta*: Missa summo mane cum meditatione; praeparatio puerorum ac puellarum prima hebdomada et visitatio singularum familiarum. b) *Sanctum Missae Sacrificium* bis facie ad populum conversa celebratum est, ut caerimonias et earum ex-

plicationem auditores intellegerent. — c) *Contiones sat multae per dialogum duorum contionatorum factae sunt*: de iuribus divinis, de immortalitate animi, de divinitate Christi, de divinitate Ecclesiae, etc. Hi dialogi mirum quanta attentione et profectu ab omnibus adiutoribus excipiebantur. — d) Aliquando *viventes factorum evangelicorum imagines* a pueris aut puellis exhibebantur: Familiae Nazarethanae, Iesu adolescentis inter doctores, Iesu Magistri orationem docentis, Iesu Primatum Petri instituentis, Sacram Eucharistiam conficientis et Sacerdotium christianum condentis, Apostolos ad praedicandum mittentis, Sanctae Crucis in Calvario a B.ma Virgine et a piis feminis adoratae, etc. — His imaginibus explicatio subiungebatur vitae domesticae, orationis, praestantiae Sacerdotii, etc. — e) *Alia magis propria regionis erant*: Chorus scenicus B. M. V. Lapurdensis, benedictio et distributio rosarum S.tae Teresiae ab Infante Iesu, Iocistarum caerimonia ignem ex altari capiendi, eumque per totum templum diffundendi, cereis singulorum fidelium accendendis, etc. — Ita ad diem Natalem Domini ventum est. Eum praecessit vigilia Eucharistica, qua finita, tres Missae celebratae sunt et Sacra Communio compluribus est distributa. (Bulletin « les Otages », ian. 1939).

Gallici Fratres nostri militaria stipendia merentes

Fratres nostri Assistentiae Galliae stipendia quidem in castris mereri per duos annos tenentur, sed eorum saluti Societas, ut mater provida, quam potest optime consuluit. Generatim in 4° anno vitae religiosae versantur. cum in castra veniunt. Cum prius curaverint Superiores ut instructionis militaris examen fausto successu subirent, ius quoddam habent locum eligendi, in quo pacis tempore vitam militarem agant. Eliguntur urbes, in quibus domus aliqua Societatis possit eis cotidie fraternum hospitium aliquamdiu praebere.

Primum contubernalium commercium difficultate non caret. Agendum est enim cum iuvenibus, quorum non pauci et mores et consilia gerunt toto caelo a nostris aberrantia. Coacti fratres eorum cantus, iuramenta, sermones audire, cito discunt fortiter agere et sustinere, ac simul bona detegere quae plebeiam illam sobolem nobilitant. Interea ab aliis optimis militibus adiuvantur et a ceteris Fratribus non negleguntur.

Singulis hebdomadis folium accipiunt duarum aut quattuor pagellarum, laetum et festivum, titulo C. M. (« Courrier Militaire ») quo intimum commercium cum iunioribus suis Fratribus renovatur.

Dies festi Sanctorum aut Fratrum in mense occurrentes, nuntii breviores (facetis quandoque imaginibus ornati), litterarum fragmenta hinc inde accepta, ceteraque eiusmodi, folium complent et animos exsulantium recreant.

Haec animum quidem aliquantum erigere possunt, sed non sufficiunt ad unionem cum Deo fovendam, tam necessariam simul et tam difficilem in ea societate versantibus. Ad eam iuvandam, accipunt milites in ipso periodici involucro copiosam meditandi materiam, quam per hebdomadam animo versent. Immo P. Magister Tirocinii Florennensis, cui Fratrum militum cura in sua Provincia commissa est, summam scripsit mediationum quibus singulis anni diebus cum Deo coniungantur.

Sunt etiam in hac vita militari horae quaedam vitae religiosae concessae. Cum enim hora 18ª. liberum tempus militibus conceditur, Fratres in domos nostras convolant, ubi et animi et corporis vires copiose restaurant. Quod tum maxime accidit, cum per dies aliquot in Noviciatum et Iunioratum redire possunt. (Echos, dec. 38).

Fructus Scholae Agrariae Andegavensis

R. P. de Forgues Exercitia exposuit 27 antiquis alumnis huius Scholae (Mem., VI. 27-43). Sunt illi nunc patres multorum filiorum et fundos rusticos sollerter dirigunt. Nonnulli 450 km. confecerant, ut Exercitiorum essent participes. Sermones habiti sunt inter eos intima familiaritate de rebus magni momenti; ita ut mutuus antiquorum amor omnino splendesceret. Schola praeparat in praesenti seriem lectionum de mutuo auxilio, quas ingeniarii et iurisperiti evolvendas susceperunt. (Paris Schangai, mart. 39).

ASSISTENTIA HISPANIAE

Patres et Fratres Prov. Aragoniae in Catalaunia liberati

Recens victoria exercitus nationalis in Hispania omnes Patres et Fratres nostros qui adhuc in Catalaunia iugo communistarum premebantur in libertatem vindicavit. Hoc nobis facultatem tribuit vitam ab eis hoc tempore gestam, et gaudium libertatis receptae et vitae communis renovatae breviter narrandi.

Manserant in Catalaunia bello erumpente (1):			
	PP. 130,	Sch. 8,	CC. 54
Variis de causis extra Catalauniam versabantur:			
	PP. 6,		CC. 4
Sanguinem fuderunt pro Christo:			
	PP. 25,		CC. 13
Naturali morte obierunt:			
	PP. 10		CC. 3
Pyrenaeos vel frontem bellicam trangressi sunt:			
	PP. 9,	Sch. 2,	CC. 1
Opera consulum exterorum egressi:			
	PP. 30,	Sch. 2,	CC. 9
Manebant igitur nunc in Catalaunia:			
	PP. 50,	Sch. 4,	CC. 24

Cum vitam a Nostris hoc tempore Barcinone gestam describere velimus, tria occurrunt dicenda: Vitam martyrii, Vitam apostolatus, Vitam religiosam.

Vitam martyrii. Scimus qualis initio fuerit Nostrorum insectatio. Mortem quibusdam Patribus et Fratribus Barcinone, Tarracone, Gerundae illatam descripsimus (Mem. V. 676, 751, 754, 798, 800; VI. 50, 173, 266, 515). Feram etiam illorum insectationem narravimus (Mem. VI. 47, 267). De vita quam multi in

(1) Agimus in sequenti statistica *de sola Catalaunia,* non de tota Provincia.

carceribus duxerunt nihil dicere ausi sumus. In eis versati sunt PP. Forés, Planas, Pujol, Ribera, Riudor, Serra Franciscus, Serra Ioannes, Thió, Scholastici Palazón et Sanz, CC. Alfaro, March, Vives, et alii qui supremum diem obierunt.

Ex his quidem alii versati sunt in custodia publica, ubi patiebantur privationem libertatis, squalorem, famem, periculum mortis imminentis, et cogebantur aliqui operam praestare vires corporis excedentem. Alii coniecti sunt in privatas anarchistarum lautumias. Celebres fuerunt eae quae a S.to Elia dicebantur in via huius nominis constitutae, ubi artes omnes adhibebantur ad victimas torquendas et intellectus usu privandas: privatio somni; horridae angustiae loci, ut corpus erigere aut movere non possent; pavimenti asperitas, ut victimae iacere nequirent; immersio in aquam frigidissimam etc. Haec hispani milites et ephemeridum etiam exterarum scriptores suis oculis viderunt. In his carceribus constat inclusos esse aliquos Nostrorum. Qui in illa veniebant fere omnes indubitatae morti vovebantur, nec ullum eorum vestigium remanebat.

Fames ab omnibus atrox vocatur. Homines, et praesertim pueri, macie confecti erant, nonnulli inedia exhausti in media via concidebant. Communistarum militibus et asseclis cibi non deerant, ipsi locos secretos cognoscebant, ubi eos sibi comparare poterant, et ubi milites hispani magnos eorum acervos putrefactos invenerunt. Ceteris tres horas exspectandum erat, ut paucos gramos panis nigerrimi coloris acciperent. . . aut ut vacuis manibus domum redirent. Aliqui congeries immunditiarum suffodiebant, ut ossa vel solanorum putamina legerent. Alii in campum veniebant, ut herbas colligerent, quas coctas comederent.

Ideo, cum clam ad exteros scribere poterant, enixe rogabant ut cibi capsas e Gallia mitterent, quod Pater Negre, a R. P. Provinciali designatus, facere nitebatur, nec tamen impedire potuit quominus multi Nostrorum corpus incredibili modo extenuatum haberent.

Periculum mortis semper imminebat. P. Ioannes Guim, qui his omnibus Dei servis fortissimis Viceprovincialis datus erat, tam tenaciter in mortem quaerebatur, ut in publicis vehiculis praemium offerretur 35.000 pesetarum ei qui eum in tribunal deferret. Cumque tandem publici custodes non quidem Patrem, sed eius domicilium detexissent, generosi illius hospites privatione libertatis in annos 30 damnati sunt. Aliquando quidem illa ferissima insectatio residere videbatur, ita curantibus reipublicae oppressoribus, ut de sua moderatione gloriarentur. Sed cito saeviebatur iterum, maxime cum russici carnifices sua tribunalia secretasque suas vigilum turmas condebant, et cum ipsum Gubernium inquisitores instituit (« Servitium Investigationis Militaris » = S. I. M.), qui crudelissima supplicia in miseras victimas usque ad ultimos dies adhibuerunt.

« Nemo sibi fingere animo potest, scribebat quidam Pater, quae hic accidunt. Ubique terror et metus indiscrete agendi. Sed mihi crede, in dies felicior sum, maioresque animos gero. In manu Dei sumus ». — Alius initio insectationis scribebat: — « In nemore habito in tugurio raptim exstructo, ut valetudini (vitae) consulam. Tempestas (insectatio) autem est valde nociva. Habeo quod comedam, sed mihi deest panis ille et vinum quae adeo me confortabant (Sacrificium Missae). Ne mensam quidem habeo, in qua illum comedam. Si quod privilegium daretur ... ».

Vita apostolica. Non minore studio, periculo et arte exercebatur vita apostolica ab illis optimis Patribus, quam a martyribus romanis in catacumbis. Cum inimicorum crudelitas atrocissima erat, P. Miró de Mesa, se medicum simulans (erat quidem medicus animarum), iubebat ipsos communistas et anarchistas automobilium ductores consistere, seque in nosocomium ducere, ut aegrotis assisteret. Quod Pater in animarum salutem fecit, donec pro sua caritate et audacia poenas dedit. P. Arbona, 74 annos natus, dum escas aliquas tamquam circulator in media via et per domos venditabat, multis sacramenta administrabat. P. Casals ianitorem agebat in nosocomio, ubi dum temporali suae vitae providebat, aeternam multis aperire poterat. Alii amicis obviam fiebant, et una per viam euntes, vel in publico scamno sedentes, eorum confessiones audiebant, dum aliud se agere simulabant. Neque id sine discrimine fiebat, saepe enim hostes amicum ab amico in via publica separabant, ut ab eis singillatim sermones per viam habitos sciscitarentur.

Sacrum fiebat initio adhibitis omnibus privilegiis a Summo Pontifice concessis: in latibulis, sine vestibus et vasis sacris, sine missali. Ultimis captivitatis mensibus audebant iam nonnulli in privato sacello, admissis quibusdam amicis et alumnis, Sacram Hostiam litare.

Iuniores Patres bicyclo utentes non verebantur per oppida excurrere et sacram communionem ad multos deferre. Illi ipsi qui in carcere detinebantur sacra ministeria pro viribus exercebant. Multum laudabatur hoc animarum studium in P. Demetrio Zurbitu, carcere incluso, donec e vivis sublatus est. Etiam P. Alfonsus Thió, qui cum primum in carcerem est detrusus, sua rerum physicarum scientia utens (cuius lauream possidet), multa coepit agere electricum lumen melius et tutius distribuens. Custodum fiducia, quam hac via est adeptus, valde illi profuit ad ergastula omnia visenda et ad bona plurima caris custodiae sociis praestanda.

Quin immo ipse P. Thió, cum esset e custodia egressus, videns gubernio non posse gratum non esse, quod scholae conde-

rentur, ubi et pueri aliquid proficerent, et species haberetur ordinatae reipublicae, ausus est cum sorore sua Sanctimoniali collegium aperire, quod « Academiam Lauriae » nomen accepit. Quo efficacius eius natura celata maneret, pueris puellisque aditus in eam patuit, cunctis, ut par est, adhibitis cautionibus, ad bonos eorum mores tuendos. Alumnos 600 congregavit, tantaque sentiebatur eius necessitas, ut duae aliae ab ea dependentes aperiendae essent. Hic sub nomine « moralis civicae » Religionis lectiones dabantur; multorum confessiones et communiones cotidie, Missae et contiones diebus dominicis, piae caerimoniae liturgicae diebus sollemnioribus habebantur. Cum eius Director P. Thió iterum in carcerem, et duriorem quidem quam prius, venisset; eius locum in Academia tenuit P. Antonius Romañá.

Vita religiosa. Heroica quidem haec sunt, sed minus forte miranda in communi animorum ad res arduas propensione. Illud mirabilius, quod in rebus tam adversis vita religiosa et fere communis vigere posset. Accipite quae de hac materie scribebat die 19 octobris 1938 P. Ioannes Guim:

« In genere res omnes tum publicae tum privatae parum sunt immutatae ab eo statu, quem alias descripsi; specie tenus illa persecutio vesana et cruenta, quae fuit quasi tessera nostrae revolutionis, videtur multum decrevisse vel potius iam cessasse... Sed identidem recrudescunt persecutiones; et his ipsis diebus organizatio quaedam policiaca, sic dicta « checa » typo russiaco et elementis variis extranationalibus conflata, sua per urbem tendit retia; et iam plures homines probi comprehensi sunt, sub variis praetextibus... Quare numquam libere procedere licet, sed caute admodum et cum timore...

Interea tamen Nostros ita collocare potuimus, ut iam plures bini sint in variis domiciliis. Quod si id nondum pro omnibus assequi, prout optamus, licuit, certe vicinitas maxima domiciliorum quaesita est, ut Fratres Coadiutores praesertim, qui cum aliquo Patre non degunt, saltem in eius vicinitate habitent, ad eumque facile convenire valeant. Ita obtinere potuimus, ut singuli stabilem confessarium haberent, et quasi adiutorem (etiam in rebus externis), quem sine incommodo consulere possent... Patres ac Fratres inter se coniuncti ita sunt, ut alii de aliis curam quodammodo gerant.

Sacerdotes alii aliter operam suam in ministeriis spiritualibus navant... Coadiutores vero etiam singuli aliquam occupatio-

nem vel nacti iam sunt, vel studiose quaerunt, sub ductu alicuius Patris. Mens est, si res in melius vergant et quando iam nullum sit periculum, ternos ponere in domiciliis iam constitutis... ita ut duo Patres et unus Coadiutor vitam communem agant...

Disciplina igitur religiosa, quantum licuit per memet ipsum id experiri, ... floret... Plerique iam... Exercitia spiritualia annua peregerunt... et spero fore ut omnes ante finem anni huic obligationi satisfecerint. Iuvenes item scholastici, qui nunc proh dolor! in carcere Ilerdensi versantur, eo quod comprehensi sunt, dum fines Hispaniae transgredi parabant, renovationem votorum, dum apud nos fuerunt, perfecerunt. Itemque Scholasticus qui ex fronte bellico, matris suae visitandae gratia nuper advenit, apud me vota renovavit ».

Patres et Fratres in Catalaunia oppressi rursus in nostrum complexum veniunt. Sub finem novembris 1938 P. Aloisius Rodés effecerat ut novem Nostrorum: PP. García Mollá, Maduell, Reig, Quera, Diez, Masagué, et FF. CC. Aragonés, Corróns et Ubach e communistarum ditione emergerent et in Italiam ad S.tum Romulum (San Remo) se conferrent. Sed bello iterum magno impetu accenso, cum tota Catalauniae regio Communistarum servitutem excuteret, statim R. P. Provincialis Alfredus Mondría, P. Socius Iosephus Monforte et PP. Gil, Gispert et Vergés, tamquam militum curae applicati, Barcinonem sese contulerunt.

Vix in eam ingressi, Patrem Ioannem Guim eiusque Socios captivitatis quaesierunt. Quo gaudio, quibus amplexibus excepti sint, facile intelligitis. Hi quidem iam die 28 ianuarii domos nostras de facto occupaverant, eoque ipso die cum templum Collegii SS. Cordis profanatum et expilatum esset, in eius impluvio missam celebrarunt, in qua 500 Sodales Mariani officium B. Mariae Virginis cecinerunt. Cum omnium viventium nomina perquirerent, desiderati sunt, praeter eos quos occisos esse aut naturae concessisse diximus, PP. Accensi, Arbona, Berdún, Casanovas, Ferragut, Mañes, Miró de Mesa, Noguera, Pardo, Tena, Trullás Petrus, Zurbitu Demetrius et FF. CC. Boix, Codina, Frasno, Rallo, Serres, Vives, quos pro certo tenent sanguinem pro Christo fudisse.

Quattuor domicilia, quae Societas Barcinone habuerat, servata sunt, multum quidem laesa et immutata. Statim R. P. Provincialis quattuor Patres, pro quibus scriptam facultatem a Gubernio Nationali obtinuerat, in

eis constituit, ut ea non solum de facto, sed etiam de iure Societatis nomine occuparent. Cum eis reliquos Patres et Fratres distribuit, quos Barcinone reperit, ut eorum Communitates pro viribus et pro adiunctis in vitam revocarent. Omnia quidem in eis deerant, cibaria, supellex, ceteraque pro vita et ministeriis necessaria. Omnes Nostri etiam aetate maxime provecti, qui Barcinone residebant, R. P. Provincialem statim adierunt, eum rogantes ut quam primum ad vitam communem redire liceret, utque de se pro suo beneplacito statueret.

Ceterae nostrae domus in Catalaunia. Tarracone templum nostrum factum erat publicum mercatum; ideoque non modo imagines et altaria sublata erant, sed plaustris illuc intrantibus pavimentum totum iacebat comminutum. Eius P. Superior Franciscus Serra, 40 dies in carcerem inclusus et iterum libertate donatus, ministeria fortiter exercebat. Manresae amplissimum templum et Residentia quae locum servabant, in quo S.tus Ignatius exstasim octo dierum est passus, solo aequata sunt. Templum quidem et Domus 3ae. probationis quae Sacram Specum circumdant, integra manserunt merito optimi custodis publici Petri Pérez. Sed 14 capsulae nitrati pulveris suppositae illis erant, ut funditus everterentur. — In oppido Verdú, parvum templum in honorem S.ti Petri Claver, ubi eius domus natalis exstiterat constructum, immune perseverat.

Omnium dictorum confirmatio habetur in duabus epistolis P. Francisci Gómez (Prov. Legion.), qui una cum militibus, quorum est Capellanus, Tarraconem et Barcinonem ingressus est. Die 25 ianuarii sic scribebat:

« Facta praeclara petitis. Dicam de optimo « Requeté » (milite voluntario), cuius brachium glando explosiva laniaverat. Medicamenta acceperat et magnis doloribus torquebatur, cum interea nihil curaret, nisi de sociis, quos in monte reliquerat cum subsidiaria hostium legione colluctantes ... Cum viderem eum magnis doloribus cruciari, iussi in scamno quiescere, in loco ab aere nocturno immuni, dum ego aliis vulneratis opem ferebam. Sed ecce eum flexis genibus orantem video, coram socio, quem mortuum attulerant. — « Quid istic agis? ». — quaesivi, reprehensionem simulans. « Redi in tuum locum, debilis es et frigus vitare debes ». — « Sinat me, Pater, pro socio orare, qui pro Deo et pro Patria cecidit... ».

« Magnae fuit etiam omnibus aedificationi noster P. Serra (pergit dicere P. Gómez), qui quamdiu perduelliones dominatum civitatis tenuerunt, eam non deseruit. Vectus bicyclo, ex urbe sub vesperum exibat et in pagis vicinis, tenebris noctis confisus, Mis-

sam celebrabat, contionabatur et alia ministeria peragebat, donec ingruente iam luce in urbem redibat, more conscriptorum indutus, ut diem in variis latibulis occultus traduceret... Quo magis Barcinonem accedimus, eo melius mihi videntur gentes in religionem dispositae. Obviae nobis fiunt laetitia exsultantes. Saepius tamen aliquos vidi lacrimas affundere. — « Cur fletis? » quaero. — « Prae gaudio, Domine ». — Pergo Missam celebrare cotidie, meosque labores in blasphemiarum reparationem offerre ».

Litteris datis die 30 haec adiungebat: « Heri affectus descripsi, quibus sum permotus, cum die 26 tanta magnificentia a civibus Barcinonensibus excepti sumus. Eius causa fuit sine dubio terror quem civibus incusserat quaedam « Ceca » seu coetus inquisitorum, dictus « Servitium Informationis Militaris » (S. I. M.). Hic coetus, dependens a Gubernio, reorum declarationes horrendis suppliciis extorquebat. Omnium benignissimum erat reos per duos tresves dies omni cibo et potu privare. Quod si efficax non erat, varia quaedam tormenta adhibebantur. Alios iterum ac saepius acerrime verberabant et frigori aut calori intolerando obiciebant. Alios in sella electrica sedere cogebant, vel nudis pedibus ire iubebant et inhumano modo calcabant; aliis assulas sub unguibus infigebant, aut digitos inter duas tabulas clavis in spiram girantibus opprimebant, donec fatebantur quod carnifices volebant. Quasdam horum suppliciorum victimas alloqui potui, quae revera sunt corpore et animo exhaustae.

Haec amphitheatrum sonant, alia redolent catacumbas. In quibusdam domibus Missa cotidie celebrata est, et nonnulli christifideles, cotidie Sacrae Mensae accubuerunt. Omnia attribuunt SS.mo Cordi Iesu. Propterea his diebus in publicis et frequentissimis viis tanta fide acclamatio resonat Christi Regis ».

Sodalium marianorum Hispalensium pietas et fortitudo

Cum primum catholica Hispaniae iuventus arma cepit, ut iugum communistarum russicorum excuteret, Sodales Mariani Hispalenses (Sevilla), in aciem ruerunt. Et primo quidem in urbe et in eius vicinitate fortissime pugnarunt, postea eorum ducenti per omnes Hispaniae regiones, ubi bellum saeviebat, variis muneribus insigniti sparsi sunt. Quantam horum Sodalium curam gesserit eorum director P. Petrus Ayala et quam sollicite pia

Mater illos protexerit, narrat singulis mensibus folium Congregationis, e quo nonnulla promere iuvat.

B.mae Virginis protectio. Eo ipso die quo primum in discrimen venerunt cereum coram imagine B.mae Virginis accensum est, quod postea sine intermissione renovabatur, perpetuae supplicationis instar, qua maternum Virginis praesidium implorabatur. Et Matris quidem amorem et virtutem Sodales experti sunt, quippe qui cum in tantis periculis et laboribus versarentur et gravissimis vulneribus afficerentur, per duos integros annos nullius mortem lugendam habuerunt. Mense augusto 1938 tres primae illorum victimae ceciderunt, duces audacissimi, qui centies vitam pro Christo in discrimen adduxerant. Nec tamen ideo ceterorum fiducia cecidit. Conati quidem sunt omnes, renovato fervore, Mariae auxilium mereri, sed etiam, renovata fiducia, pericula contemnere perrexerunt. Unus Sodalium glandem in caput accepit, quod non ossa solum perforavit sed cerebri particulam sustulit. Vixit autem et Matri gratias retulit. Alii aliis gravibus vulneribus acceptis convaluerunt. Omnes sacrum Sodalitatis numisma secum gerebant, quod tantam omnibus fiduciam et fortitudinem dabat, ut vel alii milites securiores se putarent, si prope aliquem Sodalem pugnare possent.

Accidit aliquando ut integer manipulus cum duce Sodale mirabili modo mortem certam vitaret. Cum enim summum collem tenerent, de repente velivolis hostium machinis circumdatos se viderunt, qui, igniariis telis circumfusis, magnum incendium in gyrum accenderunt. Tum adhibitis grandinariis machinis et terrae vicinum volatum tenentes, quippe qui scirent nulla ibi esse antiaërea tormenta, in milites omni perfugio destitutos iaculari coeperunt. Unum tamen illis perfugium erat, B.tae Virginis manus, quae iacula omnia ab eorum corporibus avertit. Cumque incendium nihilominus premeret, nec facile esset illud declinare, ipsa Beata Mater copiosam pluviam misit, quae flammas exstinxit. Tum milites madefacti, sed sospites et suum locum tenentes, omnes una Rosarium recitarunt, ut gratias Virgini Mariae agerent.

Sodalium pietas et fiducia. Folium Sodalitatis saepe Sodales monere debet, ne temere pericula adeant, ubi non extrema urgeat necessitas. Plurimas poteramus epistolas transcribere, quae Sodalium alacritatem patefaciunt. Accipite unum dumtaxat earum exemplum.

« Hodie tandem scribere possum, post praelia, in quibus dura pertulimus, sed Deo grates, victoriam, ut semper, retulimus. Puto iam vos

certiores esse factos duo notissima oppida N. et N. a nobis capta esse, post acre certamen, in quo Christum Regem acclamantes, globis igneis uti et manus cum hostibus conserere debuimus. Magnam grandinearum machinarum et tormentorum praedam fecimus. Vulnerati quidem et occisi milites ex nostra etiam parte conciderunt. Sed quam gloriosam mortem occubuerunt! Quanta familiis est laus, quae elata fronte dicere possunt: — « Filius meus occubuit pro Deo et pro Hispania! Frater meus vulneratus est pro sancta Dei et Hispaniae causa! Vivat Christus Rex! Vivat Hispania! ».

« Ingressi tandem sumus in haec oppida, unde sanctum Dei nomen erat erasum. Quantum omnium gaudium fuit! Iterum in eo Sanctum Nomen collucebat. Ostia domorum clausa erant. Feminae intus lugebant. Pulsabamus, nec aperire audebant, cum nos communistas putarent, qui ad eas occidendas venissemus. Nos autem pulsantes iterum clamabamus. — « Vivat Christus Rex! Vivat Hispania! » — Intus feminas inter se loqui « Amici nostri sunt ». — Nos iterum ad eas: — « Ita est, aperite, hispani sumus, oppidum servatum venimus ». — Dumque ostium aperiunt, clamare incipiunt: — « Vivat Hispania » — et lacrymas compescere non possunt. — « O! exclamant, sanctorum numismata gerunt et Sacri Cordis imaginem! Verumne est? Ergo iterum poterimus illis verbis uti « A Dios » (Addio), ut abeuntes Deo commendemus? » — « Quid ni? dicebamus. — « Deo gratias, Deo gratias » repetebant. — Ecce oppidum cui detractum Dei nomen fuerat, illudque iterum adorare incipit ».

« Hodie, cum esset dies dominica, Missa in aperto, magno animorum solacio, celebrata est. Lacrymas vix tenebamus. Eam celebravit senex quidam sacerdos huius oppidi, qui, dum ceteri mactabantur, in paleario delitescere potuit. Carnibus consumptis erat et promissis barbis. Dum Missam celebrabat, unus e Patribus qui nobiscum in castris versatur, exhortationem habuit pulcherrimam et amore patrio accensam » (Fol. Congr., maio 38).

Sollicitudo Patris Directoris. Hanc Sodalium pietatem diligenter Director menstruo suo folio alit et fovet. Actum perfectae contritionis brevissimum proponit, quem ipsi saepe eliciant, et suos milites diligenter edoceant; — monet ne ullo modo apud eos blasphemiam tolerent, utque Capellanum militarem in omnibus adiuvent; — eis in memoriam revocat dies festos Domini et Sanctorum uniuscuiusque mensis, ut eos ipsi celebrent deque eis cum militibus sermonem misceant; — mensem Marianum et mensem Rosarii recolendum suadet, aliisque modis vitam spiritualem Sodalium promovet.

Quibus illi monitis libentissime obsequuntur. Alii Congregationem Marianam vel Sectionem Actionis Catholicae apud suos milites in-

stituerunt; alii, quantum per adiuncta licet, diebus dominicis et festis pia exercitia Sodalitatis devote peragunt; alii mensem Marianum celebrarunt, alii flores pulcherrimos miserunt, quibus imago suae Congregationis, ornaretur; nonnulli etiam aliquando hora secunda noctis somnum excutiebant, ut Sacerdoti Missam ante pugnam celebranti adesse possent; alii die festo Sanctae Crucis crucem magnam prope hostium castra erexerunt et floribus ornarunt; omnes si quando Hispalim redibant, ad vires aliquantum restaurandas, ad Congregationis sedem convolabant, ut Matri Sanctissimae gratias referrent.

Exercitia, Dies Missionum et Actio Catholica in Castris

E litteris datis a P. Caballero die 6 nov. 1938 prope Matritum quaedam accipite:

... « Aliquot iam abhinc dies agebatur de congregandis Ducibus, qui de rebus moralibus et apologeticis familiares sermones mecum miscere cupiebant. Cum ipsi Duces huius rei promotores, rumorem inter ceteros sparsissent, victis quibusdam difficultatibus, statuimus ut a 26 ad 30 septembris bis in die, convenirent et Exercitia Sti. Ignatii peragerent. Locus futurus erat chirurgorum hospitium in Civitate Universitaria, quod facile attingere poterant milites huius praesidii in prima acie positi. Praeerant imagines SS. Cordis Iesu, (cui totum praesidium anno superiore sese consecraverat) et S. Ignatii veste militari induti.

Sperabamus 20 auditores adfuturos, adfuerunt 45. Sedium defectus sacrificium et constantiam optimorum militum pretiosiorem apud Deum reddebat. Aderant duces primarii et secundarii, simplicesque milites: Tribuni locum tenens (Teniente Coronel) eiusque administer, tres centuriones (capitanes) sex medici, aliique 20 duces, decuriones et gregarii milites. Veniebant etiam tres Sacerdotes castrenses, pro quibus duas alias meditationes cotidie separatim proposui, duosque dies Exercitia produxi. Omnium attentio et constantia aliis manipulis proponi potest, qui certe non tantis difficultatibus Exercitia peragent.

Multum movebantur videntes vitam christianam militiam esse: fidelitatem Christo Regi servandam, bellum sub eius vexillo agendum, ceteraque omnia quae Ignatio convalescenti obversabantur animo. Multum animis inculcavi rationem a nostris militibus exposcendam, nisi Hispania nova construeretur, quae digna esset tam copiosa sanguinis profusione.

Missa in qua ultimo die Communionem acceperunt devotissima fuit. « Quam aliter, dicebant, vitam et mortem nunc videmus! » — Alium cursum Exercitiorum in mente habeo pro iis qui primi participes esse nequiverunt.

Dies Missionum in acie. « Scitu etiam dignus videtur modus quo, secundum desideria Summi Pontificis, « Diem Missionum » celebravimus. Ad illum parandum, folia distribui et ante oculos posui, eos hortans ut Missiones iuvarent, quod essent Catholici, Hispani et Legionarii.

Unum ex his foliis manifestum patuit in popina usque ad diem festum Christi Regis, et iuxta illud capsa lignea cum aptis inscriptionibus. Omnes fere pro cuiusque liberalitate contulerunt. Legionarius quidam, me venientem videns dum custodias agebat, 10 pesetas obtulit, quas a tabaco per aliquot dies abstinens collegerat. Una Sectio 34, ducibus et decurionibus iuvantibus, maiorem hoc anno summam collegit quam omnes simul anno superiore. Inter Legionarios huius Sectionis multi plus 20 pesetas, quattuor integrum salarium quinque dierum obtulerunt. Atque hi quidem tanta liberalitate usi sunt, dum punitionem ob quendam disciplinae defectum patiebantur quare illis gratulatus sum et tabaci capsulas singulis obtuli.

Summa in universo Manipulo collecta fuit 1850 pesetarum. Cum praeterea aliis capellanis vicinis opem in hunc finem tulissem, sat multus etiam in eorum Manipulis orationum et eleemosynarum fructus collectus est. Parata est iam apud hos milites institutio « Operis de Propaganda Fide », et exspectamus tantum folia ad inscriptionem faciendam.

... Interea pergo milites ante et post meridiem docere et decuriones mihi devincire, ut me iuvent tamquam fermentum ceterorum militum, in fide religiosa propaganda et blasphemia debellanda. Adiuncta certe favent. Exterius quidem quietem habemus fere non interruptam; sub pedibus autem laborem hostium audimus cuniculos fodientium, qui ex insperato fortasse intra breve tempus nobis perniciem afferent. Paucis abhinc diebus spatio 24 horarum tres hostium cuniculi tresque nostri illi oppositi crepuerunt, fere sine ullo nostro damno, iuvante Deo. Quantum vellem Patris Huidobro virtutes habere! Sunt 22 menses quibus in acie versor... Quantum vidi sanguinis profusi! quot sacrificia heroica! quantum fructum in caelum contuli! quantum contulissem, si alius fuissem! ».

E litteris P. Antonii de Alarcón. . — « Praeter duos peditum manipulos, commissos habeo ingeniarios, nuntiorum trans-

missores, pontium constructores. Cupio nunc etiam automobilium ductoribus opem ferre, qui multum distinentur etiam noctu, multumque religiosa cultura indigent. Hi duo manipuli quibus sum adscriptus nunc primum capellanum habent . . . et facile conici potest quanta eius necessitate laborarent. Nonnulli nondum primam Communionem acceperunt. Alii matrimonium civile dumtaxat contraxerunt dum communistis subiacerent. Quidquid eis de religione dicitur novum sonat. Bono autem et simplici animo sunt, et facile se duci sinunt. Die Christi Regis e meo hospitio exivi hora 6,30, tres horas impendi in audiendas confessiones, tres Missas celebravi, quod soleo singulis diebus dominicis, in omnibus contionem habui, primum nutrimentum cepi hora 16,30.

Duces mentionem specialem merentur. Non dicam eos esse bonos, sed extra quam dici potest bonos. Numquam putassem inter hos iuvenes, directore spirituali carentes, animas reperiri tantae virtutis et fortitudinis. Principia possident religiosa optima et intime in animo radicata, eamque conscientiae puritatem, quae fervido religioso digna videatur. Non modo in mea legione, sed in aliis, quoque iuvenes excellentes detexi.

Die 7 Exercitiorum cursum incepi apud milites ingeniarios et transmissores. Bis cotidie meditationem eis propono. Multi scilicet communionem paschalem accipere non potuerant. Facultate ab Ordinario et a Superioribus ducibus obtenta, eos congregavi. Nondum cursum finivimus dum haec scribo ».

De his Exercitiis narrat paulo post P. Fernández Aranda: — « Heri celebravit P. Alarcón cum suis ingeniariis Missam Communionis Generalis. Res miranda! Hora 7 confessiones incepit. Hora 10 missam. Aderant milites instructis ordinibus cum suis ducibus. Parati erant brevioribus quibusdam Exercitiis per quattuor dies. Unus militum ad me retulit, Patrem tanto fervore verba fecisse, ut aliqui militum lacrimas tenere non possent: quod mirum quidem apud milites acie obduratos ». (Nunt. Prov. Baeticae, 24 nov. 38).

E litteris Sch. F. Lasaletta. « Sacerdos noster, P. Salesianus, magno animorum studio accensus, me rogavit videreturne opportunum Diem Missionum a nostris militibus, non verbis solum sed factis, commemorari. — Re quidem vera cum tormentarios nostros milites cognosceremus, quorum plurimi uxorem et filios habent, et salarium minusculum cotidie accipiunt, arduum censebamus capsulam per eorum ordines ducere, ad eleemosynam collegendam.

Eorum animos, ad bonum semper proclives, aliquantum tentavi, duces consului, qui rem maxime probarunt. Cum in Missa ad Evangelium ventum est, contio est habita de Missionibus... Permoti sunt milites maxime cum fructus audirent a Sodalitate Sanctae Infantiae reportatos... Cito prima capsula repleta est, et alteram circumduximus... Collegimus 31 pesetas. Multi integrum salarium dederant unius diei... Postea cum militibus sum locutus. Omnes fervore missionali aestuabant, nemo hominum verecundia tenebatur. Non satis erat bellum hic gerere, ad nostram fidem tuendam... Volebant ne quis puer in Missionibus sine baptismate interiret». (Nunt. Prov. Baeticae, 10 nov. 1938).

Ex epistola Sch. F. Em. Tirado. «Prope quamdam cellam subterraneam et munitam singulis diebus sub vesperum Rosarium B.tae Virginis recitamus, quod dirigit Capellanus. Prius quam incipimus, hymnum canimus Iuventutis Catholicae Hispaniae. Quo audito, iuvenes omnes Actionis Catholicae et nonnulli alii curiositate allecti conveniunt. Die B.tae Virginis a Columna ad Sacram Communionem accesserunt socii omnes, et sat multi duces. Post prandium sedentes in colliculo circulum studii habuimus. Sub vesperum circa pyram accensam hymnos sacros et profanos multos cecinimus. Nunc apparet fructus educationis quam PP. Salesiani et FF. Scholarum Christianarum his iuvenibus impertiti sunt».

Caritas Patrum Nostrorum in homines custodia retentos

Complures Patres in variis Hispaniae regionibus operam diligentissimam navant hominibus, qui in custodia detinentur. En exempli gratia quae P. Serapius Leturia (Cast.) de hominibus narrat sibi attributis: «Vitoriae ad eorum vitam christianam excitandam, sacellum politum et decoratum est, novisque paramentis ornatum, et ex ipsis incarceratis chorus cantorum exstitit, qui pias caerimonias suis cantibus comitabitur. Ad vitam intellectualem fovendam, scholae variae sunt, pro diversa eruditione alumnorum, quibus pervius est usus bibliothecae sat copiosae. Cum denique nova lex in Hispania statuat, ut omnes homines carcere damnati, singulis diebus honesti laboris, totidem dies carceris redimere, ac simul modestum salarium familiare percipere possint; commissum est alicubi Patribus nostris, ut pro singulis incarceratis chartulam scribant, in qua de singulis constet, qua sint in arte periti, et quibus cognatis proximis subvenire debeant. Haec dum nostri Patres magna diligentia et

caritate perficiunt, animos miserorum facile ad Deum adducunt ». (Nunt. Prov. Castell. febr. 39).

In eumdem finem incarceratis providendi, eosque iterum ad vitam civilem aptos reddendi, institutus est « Patronatus Incarceratorum », cuius membrum est noster Pater Pérez del Pulgar (Tolet.). Hic curavit ut normae darentur incarceratorum Cappellanis; ut blasphemia severissime interdicta esset; ut rei qui ceteris impedimento essent ne resipiscerent, maxime in ultima poena subeunda, removerentur; ut census fieret operariorum et officinarum operariis indigentium. Duas et viginti novas bibliothecas condidit, morem induxit bonos libros publice legendi et folium periodicum « Redención » (Redemptio), in utilitatem et solacium incarceratorum paravit.

Litterarum latinarum cultor a Romana Civitate praemio donatur

P. Aurelius Espinosa Polit, in Collegio « Loyola » urbis Cotocollao in Aequatore Professor, litteras latinas et graecas non modo suos alumnos assidue docet, sed scriptis etiam libris civibus eruditis amandas et degustandas praebet. Id cum Regio Legato Italiae in honorem gentis Romanae cedere videretur, Patris nomen ad almae Urbis Gubernatorem detulit, ut eum honorifico praemio insigniret. Die igitur 22 oct. 1938 argenteum numisma magni ponderis, a Municipio Romano concessum, Patri sollemni modo oblatum est.

Aderant Summi Magistratus ab Exteris Negotiis et a Publica Educatione (hic vices agens Praesidis Reipublicae), Legatus Pontificius, Legatus Regni Italici, et aliarum gentium Ministri. Et primum quidem Patris alumni Georgica Virgilii commentariis ornarunt, quibus eorum praestantiam aestheticam, philosophicam, historicam, socialem, patrioticam ostenderunt. His commentariis cantus miscebant latinos hispanosve ex odis Horatii vel ex ipsis Georgicis depromptos.

Tum Rerum exterarum Magistratus nomine Regii Legati Italiae numisma Patri obtulit, merita eiusdem Patris et nostrae Societatis extollens in adolescentibus Aequatorianis litterarum classicarum amore imbuendis. Cui Pater respondit, gratias agens et finem Societatis in his laboribus pro iuventute suscipiendis exponens.

In Viceprov. Peruviana tirocinium inauguratur

In pag. 238 superioris voluminis diximus quanto studio et quam supernaturali spiritu P. Paulus Menor in vocationes inter

adolescentes peruvianos fovendas incumberet. Consilium a Superioribus initum condendi Noviciatum in ea regione, aptos iuvenes et sufficientes pecunias, ad eos formandos et alendos, exigebat. Omnibus providit « Foedus ad fovendas vocationes pro Societate Iesu in Vice-Provincia Peruvio-Boliviana ».

Eam breviter descripsimus in loco citato. — Invitationes 400 inter communitates religiosas Americae et Europae distributae ad orationis auxilium implorandum, preces cotidie in nostris communitatibus factae, Missae quamplurimae die 13 uniuscuiusque mensis celebratae, communiones et sacrificia innumera, ab omnibus, maxime vero ab aegrotis in nosocomio iacentibus oblata, contiones, consessus familiares, folia, imagines, libri de vocatione agentes, attentionem et amorem multorum excitarunt. Ita constitutum est Seminarium minus Arequipae, cuius alumni, finitis studiis humanitatis, in Noviciatum Viceprov. Chilensis mittebantur.

Nunc tempus adfuit Noviciatus condendi, et Seminaristas in Collegium Limense transferendi, ubi efficacius possent in studium incumbere. Noviciorum domus iuxta mare in loco dicto Miraflores condita est, septem kilometra distans ab urbe Lima. Die primo iulii, prima feria VI mensis, inauguratio sollemnis est habita. Pridie huius diei ipse P. Paulus Menor, Rector et Magister Noviciorum, contionem habuit virtutes antiquorum Patrum illius regionis in memoriam revocans, et novos eorum filios ad aemulationem provocans. Tum SS. Eucharistia in throno exposita adorationes et preces excepit omnium domus incolarum, sibi per totam noctem in sacello succedentium, dum interea aliae religiosae communitates similes vigilias coram SS. Sacramento pro novo Noviciatu offerebant. Cetera non describam, facile enim conicietis, quanto fervore novi novicii vestem induerent, quomodo Sanctum Missae Sacrificium fieret, quomodo post prandium Exc.mus Archiepiscopus domum SS. Cordi Iesu consecraret, et SS. Eucharistiam per viridiarium duceret, quibus denique verbis salutationis P. Rector divinum Regem exciperet. Ipse eiusque Mater SS.ma novo Tirocinio benedicant, cuius Novicii iam die S. Iosephi 15 futuri esse dicebantur. (« De Nuestra vida », aug. 38).

PP. Rectores duo gravissimo mortis periculo erepti. Gaudium illorum dierum alio non minore SS. Cor Iesu cumulavit. Die 26 iunii P. Lapuerta, Rector nostri Collegii in urbe La Paz,

et P. Albacete qui simili munere in Collegio Sucrensi functurus erat, aëream machinam Limae conscenderant, ut in Boliviam se transferrent. Sed ecce horrida nivis et ventorum procella eos coëgit in terram descendere, tam infelici sorte, ut machina in scopulos impingeret. Tres eius ductores et P. Albacete vulnerati sunt, unus mansit sine vulnere P. Lapuerta, fortiter vero concussus.

In ea vastissima solitudine iacuerunt Patres per horas septemdecim, noctem ducentes frigidissimam, vulnera pro viribus ligaverunt, seseque ad mortem pararunt, in quo eos imitati sunt vel ipsi vectores e protestantica secta actum contritionis elicientes. Potuit tandem P. Lapuerta longissimum iter aggredi, donec pastorem invenit, quem de infelici casu certiorem fecit, ut nuntium ad proximum oppidum deferret. Die 30 iunii, pridie sollemnis inaugurationis tirocinii, R. P. Viceprovincialis ceterique omnes Patres et amici, qui summa in anxietate fuerant, telegramma Patrum acceperunt, miram eorum conservationem nuntians. Unus vectorum dicebat postea: — « Si liceret socios eligere ad huiusmodi casus subeundos, equidem Patres eligerem. Vix dici potest quantam per totum illud tempus conformitatem prae se tulerint, quantum conati sint nullam nobis inferre molestiam et animos nostros erigere » (Ibid.).

ASSISTENTIA ANGLIAE

Socialis Catholicorum coetus

In quarto volumine « Memorabilium » (pag. 69 et 73) brevis mentio facta est duorum operum socialium, quae sedem primariam habent Oxoniae (Oxford) et a P. Leone O' Hea (Angliae) diriguntur. Uberiorem de illis notitiam utilem vobis et iucundam fore putamus.

Opus dictum « The Catholic Social Guild » finem habet Studia Socialia in privatis circulis promovere, et libros edere circulos adeuntibus utiles. Sociis constat qui parva stipendia solvunt ad opus sustentandum, et paucis quibusdam viris scientia et caritate conspicuis, qui in circulos propagandos et iuvandos incumbunt. Circuli circiter 350 numerantur, socios habentes saltem quattuor, non plures 12, ut omnes in eis sententiam crebro dicere possint. Optime definita habere debent tempus et locum quo singulis hebdomadis conveniant, thema seu argumentum per annum enucleandum et librum ex quo doctrinam eo spectantem promere possint.

Circuli praeses saepe operarius est, qui in Schola Oxoniensi studia confecit, nec lectiones tenet quas audiant socii, sed eorum tantum disputationes dirigit, ut omnium attentio in re proposita fixa maneat, neque in res alias dilabatur. Pro quibusdam disciplinis, v. gr. pro Philosophia morali, commendatur ut Magister aliquis circulo praesit. Socii, quoties in circulum coeunt, breves preces effundunt; omnes legisse debent partem libri ad eam circuli sessionem assignatam; duo vero vel tres parati esse debent ad illam explicandam et difficultates solvendas. In fine invitatur aliquis ut caput iam explicatum propriis verbis in compendium redigat.

Quandoque attentio breviter convertitur in socialem aliquam quaestionem in paroecia occurrentem vel in ephemeridibus disputatam; aut etiam publicus circulus uberiore quadam eruditione et apparatu instituitur. Cum tempore aestivo circulorum labor abrumpitur, sociis commendatur ut semel saltem in mense conveniant, utque occasionem nan-

ciscantur suos labores magistratibus, professoribus, librariis notos reddendi, e quibus non parum utilitatis opus ipsum percipere potest.

Socii uti possunt magisterio per tabellarios exhibito, difficultates in singulis sessionibus discussas scripto colligendo easque ad coetum centralem mittendo, qui modico pretio accepto, scripta corrigit et remittit. Libellum periodicum « The Christian Democrat » ab ipsa consociatione editum facile acquirunt.

Catholicum Operariorum Collegium

Magna erat catholicorum utilitas per circulos sociales obtenta. Sed P. O'Hea aliquid maius moliebatur, ad optimos operariorum ductores ex ipsis operariis informandos. Itaque anno 1921 parvum convictum condidit, (« *The Catholic Workers College* »), ubi optimi opifices, ingenio et moribus et auctoritate praestantes, duorum annorum spatio Philosophia morali, Ethica Sociali, Apologetica, Theoria et Historia Oeconomiae informarentur.

Numerus alumnorum magnus esse non potest propter subsidiorum exiguitatem. Decem plus minusve esse solent, ita ut quotannis quinque novos ductores catholici opifices accipere soleant. Etiam grandiores puellae nonnumquam excipiuntur, sed separatum, ut par est, hospitium incolentes.

P. O' Hea tres primos operarios admisit, 12 tantum libras anglicas possidens in hunc finem collectas. Cum unusquisque alumnorum circiter 130 Librarum sumptum faciat, facile intelligitur quanto labore haec summa pro singulis haberetur. Caritas quorumdam benefactorum, subsidium 26 Librarum et 10 Shelinorum quod publicum Educationis Ministerium quotannis pro singulis pensitat, aliaeque summae a quibusdam Magistratibus localibus additae, necessitati subveniunt. Illud vero fructum huius operis maxime commendat, quod in diocesi Hexham et Newcastle, operarii, maxima ex parte fodinarum fossores, quintum decimum iam annum selectum operarium quotannis suis expensis mittunt, fructum suae parcimoniae paulatim magnoque labore collegentes. Iam aliarum regionum opifices tam clarum exemplum imitari conantur. Haec de alumnorum sustentatione.

Eorum selectio et cooptatio quam accurata esse debeat nemo non videt. Operarii qui circulos sociales assidue frequentarunt optimi huius Collegii candidati solent esse.

Universitas eos carissimos habet, et quamquam deficiente praeparatione, altiora studia conficere non possunt, admittun-

tur tamen ad obtinendum Diploma in Scientia oeconomica et politica. Anno 1937 septem alumni, omnes scilicet qui studia absoluturi erant, diploma sunt consecuti, duo quidem cum distinctione.

Lectiones accipiunt tum a nostris Patribus, tum a Magistris vel Repetitoribus (Tutors), qui nullum pro suo labore stipendium accipere volunt. Immo ipsi Professores aliquando cum operariis libenter sermocinantur, et de labore nunc praestito ab iis qui in Collegio versati sunt fieri cupiunt certiores.

Fructus est non paenitendus. Antiqui alumni inter se consociati sunt et assiduum cum Collegio epistolare commercium habere non cessant. Fere omnes, finitis studiis, ad suas artes et munera redierunt. Omnes, praeter duo, in actionem Socialem et Catholicam diligenter incumbunt, nonnulli Municipii Consiliariis adscripti sunt, unus etiam Princeps Municipii renuntiatus est.

Fratres militiam agentes in Belgio

Iamdiu Fratres nostri qui stipendia merentur in Belgio ordinem tenent qui animo et corpori maxime favet. Quem cum in libello « Echos » (oct. 38) descriptum videamus, libenter ceteris Provinciis notum facimus.

Iuvenes omnes Seminaristae aut Religiosi, qui ad arma vocantur, ad sanitatis officia instruuntur per menses 12. Eorum munus erit tempore belli vulneratos milites collegere et prima eis medicamenta apponere. Ad hoc parantur in schola lecticulariorum et infirmariorum. Omnes simul habitant, arma nulla gerunt, sclopetum eo solo fine apprehendunt, ut discant quomodo ex eo glandium capsula removenda sit. Lectiones audiunt medicinae a medico Centurionis locum tenente: elementa anatomica, vulnerum curationem, contagionis remedia praeventiva. Leges militares discunt eas dumtaxat quae ad suum munus pertinent. Longa itinera et exercitationes gymnasticae eorum corpus flectunt et roborant; cursus medicinae et experientia saucia membra fasciis devinciendi et aegrotantia corpora vehendi, eos aptos efficiunt ad multa caritatis officia tum in patria tum in missionibus praestanda.

Cotidie hora 4 post meridiem tempus habent vacuum ad suam formationem intellectualem et spiritualem continuandam. Seminaristae et maxima pars Religiosorum studia theologiae persequuntur; Nostri in

studia incumbunt philologiae classicae, cuius examen publicum Bruxellis subibunt. — Spiritualia exercitia suum tempus habent. Mane quidem per horae dimidium meditationi dant operam, tum Sacro intersunt dialogato, Communionem accipiunt et gratias agunt; post prandium et recreationem conscientiam excutiunt; sub vesperum Rosarium recitant, quod benedictione eucharistica absolvitur; ante cubitum fit iterum examen et preces communes recitantur. Bis in hebdomada, finitis precibus, audiunt materiem meditationis die sequenti instituendae.

Foedera SS. Cordis in Belgio

Dedimus in his Commentariis (VI. 544-552) horum Foederum descriptionem, ab eorum Directore Congregationi Generali exhibitam. En aliquos eorum fructus prout in libello « Echos » (oct. 38) referuntur.

Singulis mensibus in 1612 paroeciis plus 200.000 hominum ad sacram mensam globatim accedunt, ut honorem et reparationem publicam divino Cordi tribuant. His ultimis 25 annis in 1500 paroeciis numerus virorum sacrae mensae accumbentium ita crevit, ut ubi centum aderant, nunc plures mille numerentur. Cum Foedus in nova aliqua Paroecia instituitur, Parochi diffidunt, primumque diem Communionis trepidi exspectant. Postea miraculum se putant videre.

Zelatores numerantur 16.500, qui singulis mensibus plus 250.000 sociorum visitant.

Foedera quibusdam civitatibus et regionibus suaserunt ut se SS. Cordi Iesu consecrarent; magnas peregrinationes Romam, Lapurdum, Budapestinum miserunt; opinionem publicam ad mores christianos renovandos commoverunt; ad observandas scilicet leges quadragesimales, ad sacrum diebus dominicis audiendum, ad ultima sacramenta cum fructu accipienda.

Ad efficaciam Foederum conservandam et augendam, orationes multorum petuntur. Tertio quoque mense editur in lucem folium quattuor pagellarum « Orate Fratres », et ad monasteria linguae flandricae circiter 1200 mittitur.

Abhinc octo annis coepit P. Henvaux similia Foedera in regione linguae gallicae condere. Numerantur 300, quae 35.000 virorum colligant. Folium menstruum « Regnum Christi » Parochis ea nota facit.

Folia periodica protestantica librum laudant de vita Sanctorum

Cum P. Cyrillus Martindale (Angliae) vitas quorumdam Sanctorum per radiophonium narrasset, easque postea typis mandasset (Mem. V. 698), tanto omnium plausu exceptae sunt, ut nova earum editio paranda esset. Hac occasione collecta sunt iudicia 28 foliorum periodicorum, in quibus protestantes scriptores de opere Patris iudicium ferunt, quae omnia paucis collecta referimus.

1. Omnes censores agnoscunt, Patrem miram vim possidere rem suam ante oculos ponendi: Unus affirmat radiatos illos sermones descriptiones esse biographicas minimas quidem, sed omnibus numeris absolutas (Masterpieces of miniature biography). — 2. Omnes fatentur Sanctos quorum vita describitur omnium sibi amorem et studium devincire, cum fidem revera heroicam coluerint. — 3. Certe nonnulli affirmationem reiciunt dicentis, homines tanta sanctitate ornatos non reperiri nisi in Ecclesia catholica. — 4. Nihilominus gratum est omnibus, quod illi sermones radiophonici typis mandati sunt. (Lett. and. Not., oct. 38, 253-264).

Hebdomada socialis Canadensis sexta decima

Hebdomadae sociales Canadenses finem habent delectos hominum manipulos informare, qui spiritum christianum civili societati rursus infundant. Via ad hoc assequendum est problemata nostri temporis perscrutari, Romanorum Pontificum doctrina illustrata. Hoc munus commissum est in Canada catholicis omnium eruditissimis in re sociali, qui doctrinam proponunt in modum lectionis, ita ut nec discussiones sequantur nec conclusiones auditorum approbationi relinquantur. Coetus talium virorum quibus praeest P. Archambault annuam successionem harum hebdomadarum ordinat. Cum enim anno 1920 haberi coepissent, plenamque approbationem tum Episcoporum omnium Canadensium, tum praesertim Summi Pontificis meruissent, nullus fere annus ab eo tempore praeteriit quo non haberentur. Etiam anno superiore, vix argumentum lectionum habendarum Summo Pontifici nuntiatum est, amplissimae litterae eius nomine scriptae sunt ab Em.mo Card. Pacelli ad P. Archambault, quibus catholici Canadenses invitabantur ad re-

sistendum communismo et ad apostolatum in vita privata, professionali et publica exercendum (A. R., IX. 170).

Hebdomadae sociales habitae sunt adhuc quindecim; de Encyclica « Rerum Novarum », de Syndicalismo, de Capitali et Labore, de Familia, de Proprietate, de Iustitia, de Auctoritate, de Problemate oeconomico, de Civitate, de Statu publico, de Ordine Sociali christiano, de Problemate agrario, de Educatione Sociali, de Ordinatione Professionali, de Cooperatione. Lectiones omnes uniuscuiusque anni typis mandantur et venalia prostant, ita ut seriem utilissimam constituant.

Hebdomada celebrata est anno 1938 in Sherbrooke, eius thema fuit « Ordinatio Societatis civilis qualem Ecclesia defendit nec dare potest communismus». Verba fecerunt praeter Em.mum Cardinalem Villenueve, Exc.mus Episcopus Auxiliaris dioeceseos PP. nostri Archambault et Lebel, Directores et Professores Scholarum Superiorum, Praesides operum Socialium, Magistratus, scriptores et causarum patroni. Egerunt de praesenti perturbatione sociali, de errore communismi, deque eius operibus; de persona humana, de familia, de proprietate, de restauratione oeconomica, de patrono christiano, de opere sociali Ecclesiae; deque aliis quaestionibus ad vitam socialem pertinentibus. Homines recedunt ex his hebdomadis non modo mentibus veritate illustratis, sed animis caritate accensis et studio sese pro Regno Christi et hominum salute devovendi. (L'Oss. Rom., 24-25 oct. 1938).

Quartus cursus socialis in Coll. Clongowes (Hiberniae)

Quartus hic cursus Socialis habitus est a 16 ad 18 iulii 1938. Eius titulus « Ordo Socialis » electus est in signum venerationis erga Sanctum Patrem Pium XI, qui hunc titulum dedit litteris « Quadragesimo Anno ».

Labor praecipuus horum studiorum ordinandorum in Patres Collegii Clongowes incumbit, quos tamen alii Patres nostri, Sacerdotes e Clero saeculari et regulari et optimi laici alacriter iuvant.

Argumentum praefinitum fuit « Aequa annui proventus distributio », seu aliis verbis: « Labor, salarium, Pretium, Proventus ». Homines circiter 210 lectiones audierunt ex omni civium classi et ex omnibus Hiberniae regionibus. Die sabbato sub vesperum post coenam et benedictionem convenerunt in Aulam Maximam, ubi sessiones erant futurae et statim prima disputatio de Iustitia oeconomica est habita. Sequenti die disseruerunt de argumento proposito viri clarissimi Directores vel membra Societatum Commercio, Industriae, Agriculturae fovendae, Professores Universitatis, Princeps Municipii Corkensis, etc. Convenerant enim

homines qui plurimum apud suos cives valebant: Senator, duo Deputati, Secretarius Concilii Exsecutivi, Adiutor Directoris Statisticarum, Director Officii Informativi Gubernii, Secretarius Foederis Dublinensis Patronorum (Operarios conducentium), Praeses Concilii Syndicatuum Dublinensium, alii homines variarum professionum.

Post singulas lectiones oriebatur discussio, quae aliquando per integram horam producebatur. Quin immo etiam extra aulam eiusmodi discussiones interdiu habebantur, magno animorum ardore et consensu. Fuit etiam locus ludis in aperto, tempestas enim fuit maxime propitia. Feria II post Missam et Benedictionem, contio dimissa est. (E litt. R. P. Provincialis).

Gratus nostrorum animus in collaboratores saeculares

Gratus Nostrorum animus in viros saeculares, qui nobiscum fido animo laborant, eos in inceptis confirmat et virtutem omnium patefecit. Unus fasciculus libelli periodici « Echos » (Belg. Merid. mens. dec. 1938) complura huius grati animi exempla commemorat, quae libenter transcribimus.

« Dnus. Saudron, optimus auxiliator P. Praefecti disciplinae per annos 27 in Collegiis Namurcensi et Godinnensi, aureo numismate Ordinis Leopoldi II donatus est ». — « Ianitor Arlunensis, Dnus. Carolus Iris, numisma civicum accepit 2ae classis. Ante 25 annos in Collegium venerat faber lignarius; ab anno 1917 ianitoris munere fungitur. Hoc iubilaeum prandio familiari celebratum est, cuius participes fuerunt FF. Coadiutores et aliqui Patres ». — « Die 18 octobris Collegium Caroloregiense iubilaeum celebravit Dni. Raoul (Radulphi) Sonet, qui munus docendi tenuit per annos 40. Paulo ante illi collata fuerat « Crux civica primae classis ». Cum fuisset olim eiusdem Collegii alumnus, coepit linguam latinam cum in inferioribus classibus, tum in superioribus docere. Semper in eo virtus educatoris et apostoli cum arte docendi certavit. R. P. Rector Missam sollemnem obtulit tribus filiis Dni. Sonet ministrantibus, quorum unus iam Sacerdos nostrae Societatis est, alii duo Scholastici. Huic Sacro Professoris familia et integrum collegium interfuerunt. Tum in aulam maximam iterum omnes convenerunt et grati animi obsequium optimo Magistro reddiderunt. Ipse P. Rector eius laudes texuit, lectae sunt epistolae gratulatoriae A. R. Patris Nostri, R. P. Provincialis et antiquorum quorumdam alumnorum. Ad prandium accubuit Dnus. Sonet cum sex suis filiis et renovata sunt grati animi testimonia ». (Echos, dec. 1938).

Apostolatus per undas aethereas in missionibus

A P. Iosepho Mols, Rectore Collegii inchoati Leopoldvillensis in missione Kwangensi (Belg. Mer.), sequentem narrationem accipimus:

« Statio nostra undarum radiatrix primum anniversarium mense ianuario celebravit. Magnum ab initio successum habuit maioremque habet in dies. Initio mirabantur homines quod « Patres » talem apostolatus formam adhiberent, postea undique approbationes et oblationes cooperatorum venire coeperunt. Iam nunc cives urbis Leopoldville his emissionibus carere non possent ». — Fiunt omnibus diebus dominicis et festis ab hora 11,30 ad 13,30. Rogant quidem auditores ut eas longiores et crebriores etiam per hebdomadam mittamus. Sed nec tempus nec homines ad tantum laborem sustinendum in praesenti sufficerent.

Programma sic se habere solet: Damus per dimidiam horam concentum musicae classicae, tum sermo habetur de religione, de re litteraria, scientifica, coloniali, etc.; iterum musica per dimidium seria quidem, etsi non classica; clauditur denique sermonum emissio brevi concentu musicae popularis, ut omnes pro sua indole aliquam inde voluptatem capiant. Altera quaque hebdomada horae quadrans pueris assignatur, quod mirum quantam eis delectationem, genitoribus ipsis utilitatem afferat.

Nullum a Gubernio, neque a Provincia Societatis subsidium accipimus, nec illud desideramus. Omnia eleemosynis sustentantur.

Statio utilissima est, ad cives omnes nobis viciniores reddendos. Homines omnium opinionum verba in statione fecerunt de rebus colonialibus, musicis, scientificis, etc., ea lege ut orationem habendam nostrae censurae subicerent.

Aliud etiam vinculum haec statio nectit inter familias. Illae enim quae instrumentum receptivum non possident, amicos adeunt, ad emissionem percipiendam. Pueri cum eorum tempus adest, etiam in sedes amicorum confluunt, e quibus nostros sermones audire possunt...

Nec ille contemnendus est fructus quem religiosae orationes gignunt. Exc.mus Vicarius Apostolicus D.nus. Six et Parochus Civitatis, verba in hac statione fecerunt. Contiones quadragesimales et aliae praecipuae diffusae sunt. Vox ad omnes pervenit omnibusque fructum affert. Aliquando orationes patrioticae habentur in anniversariis praecipuis. Ora-

tores habuimus Gubernatorem generalem Dnum. Ryckmans, Vice Gubernatorem Ducem Ermeus, Procuratorem Generalem etc. Hi sermones multum iuvant, etiam duces militiae aliosque hominum circulos.

Adhuc stationis nostrae efficacia ad 400 kilometra extenditur. Consilium est eius vim aliquantum augere, ut per totam regionem Kwangensem et Angolensem audiatur ».

Secessus Paschalis Bruxellis habitus pro negotiatoribus maxime distentis

Viri duo, animorum studio accensi et in Parcimoniali Officina publica distenti, tribus abhinc annis, Patrum nostrorum consilia sequentes, huius secessus auctores fuerunt. Patres in urbis regione negotiatoribus frequentissima templum elegerunt, in quo, tempore paschali adventante, tribus continenter diebus eos meridie congregant, de animi rebus alloquuntur et impertita eucharistica benedictione dimittunt. Negotiatores ad has contiones audiendas invitantur publicis nuntiis muro affixis, foliis passim distributis, praesertim vero amicorum voce. Hoc anno numerabantur 400 vel 500. (« Chez Nous », nov. 1938).

Missiones Hibernicae

E litteris hibernicis « Province News » (iul. 1938) sequentes nuntios excerpimus de Missione Sinensi.

« In Collegio Wah Yan quinque adolescentes Sacro baptismate abluti sunt mense ianuario huius anni, quattuor versantur nunc in collegio, quintus est antiquus alumnus. Multae fuerunt petitiones hoc anno ad collegium frequentandum, cum vero scholae omnes essent fere repletae, pauci omnino admitti potuerunt.

Annum scholasticum incepimus mense septembri cum 965 alumnis, quem numerum numquam obtinueramus. Tanta alumnorum frequentia debetur magno numero eorum qui in hanc civitatem confugerunt. Conventus annuus antiquorum alumnorum habitus est mense novembri. Argentum quod alias in prandium ludosque impendere solebant, contulerunt hoc anno ad succurrendum vulneratis et profugis e regionibus bello vexatis. Ipsi potione sinensi contenti fuerunt. Die 12 martii alius puer bapti-

zatus est. — In Ricci Hall a mense septembri sacrum baptisma septies impertitum est tribus studentibus et quattuor famulis.

Nuper in ephemeridibus publicis gratias egit Gubernium Sinense catholicis Missionariis qui hominibus paupertate aliisque doloribus oppressis se dovovent. — Uxor summi Imperatoris in oratione de hac re habita idem testimonium tulit, nuntiavitque populi Sinensis Dictatorem statuisse leges rescindere, quae christianam religionem in scholis docere prohibebant. Non obstantibus magnis iacturis, quas missiones belli causa patiuntur, bellum multum iuvabit ut Ecclesia melius cognoscatur. Multa vulneratorum et fugitivorum milia curantur a Missionariis, ideoque plurimi tantam caritatem experti Sacrum baptisma acceperunt ... ».

Protestantes quidam apostolatum expostulant Patrum Societatis

Duo Patres Societatis Prov. Hiberniae, PP. Mackey et Garahy, contiones anno superiore habuerant in Africa meridionali, occasione congressus catholici in Cape Town celebrati. Vir quidam protestanticus illius regionis, nomine Schoeman, magna praedia possidens in Iohannesburg, scripsit ad Delegatum Apostolicum Africae Meridionalis, rogans ut duo illi Patres regionem Transvaalensem percurrerent, contiones habentes pro non catholicis. Audierat scilicet orationes ab eis habitas in Cape Town, putabatque eorum contionandi modum magnam vim habiturum esse ad eos homines alliciendos. Ipse paratus erat opem ferre necessariis subsidiis. Delegatus Rev.mo Vicario Apostolico rem proposuit. Qui cum rei difficultatem opposuisset, propter alia ministeria a Patribus iam acceptata, rursus D.nus Schoeman suam petitionem iteravit. (Prov. news, iul. 38).

ASSISTENTIA AMERICAE

Facultatis Theologicae Westoniensis academia de ordine Christiano Sociali

Floret in Coll. Maximo Westoniensi (Prov. Novae Angliae) academia Theologorum dicta « The Christian Social Order Academy », quae finem habet futuros Sacerdotes nostros parare ad laborandum pro restauratione Ordinis Socialis Christiani. Praeparatio fit problemata fundamentalia ordinis socialis, oeconomici et moralis perpendendo, eorumque solutiones inquirendo, in Sacris Encyclicis, in Philosophia, in Theologia catholica et in earum summa quae a Patribus Societatis in Statibus Unitis Americae proposita est.

Academiae praesidet P. Ios. F. MacDonnell, Professor Sociologiae, et quamquam liberum est theologis illi adhaerere, membra 30 numerantur. Sub finem anni scholastici themata anno sequenti investiganda, et dies quibus in circulo sunt explananda singulis assignantur. Omnes strenue et libenter pensum absolvunt, quo exposito, disputatio sequitur, sub moderatione P. Directoris. Assiduitas qua omnes academici disputationibus intersunt ostendit quantum inde fructum se capere sentiant. Nulla huius constantiae demonstratio clarior quam ipsa thematum anno 1937-38 exhibitorum enumeratio:

Oct. 16 Coetus professionales in U. S. A.
» 30 Evolutio Ordinationis collectivae Industrialium (C. I. O.) (Syndicatus Opificum secundum varias eorum occupationes).
Nov. 13 Marxismi fallaciae et sophismata.
» 27 Insuccessus Marxismi in Russia sovietica.
Dec. 11 Corpus Mysticum et Actio Socialis.
» 23 Pax, bellum, Ordo Socialis.
Ian. 15 Theatrum catholicum et communisticum.
» 29 Systema foederale repositionis argentariae. (The Federal Reserve Banking System).
Febr. 5 Cooperativae Emptorum Societates.
» 19 Salarium familiare.

Mart. 5 Jocistae.
» 19 Motus Iuventutis in U. S. A.
Apr. 2 Coetus professionales et Status corporativus.
» 16 Liturgiae vis ad restaurationem socialem.

Haec fuerunt themata a Scholasticis enucleata. Aliquando vero occasione utebantur clariorem aliquem magistrum Collegii hospitem audiendi: — P. W. J. Parsons S. J.: « Politici impulsus nostri temporis in U. S. A. ». — J. W. McCormick: « Evolutiones communisticae in U. S. A. ». — Rev. Smith Sullivan O. M. I.: « Programma Sociale Canadense ». — P. B. W. Dempsey S. I.: « Status Corporativus ad mentem Fascismi et ad mentem Pontificiam ». — P. Th. J. Smith S. I.: « Ideologia Marxista ad praxim deducta ». — (The Seminary News, Apr.-Maio 38).

Schola Scientiarum Socialium in Coll. Sti. Iosephi (Philadelphiae)

Eius fundatio. Inter multa opera informationis socialis, quae in Statibus Unitis Americae a Nostris diriguntur, insignem locum tenet « The School of Social Sciences, St. Joseph College », anno 1936 instituta a Patribus Prov. Marylandiae N. E., qui in « Christianum Ordinem Socialem instaurandum » incumbunt. Eius finis est principia Sociologiae christianae opifices docere, ad quem attingendum, P. Rector Coll. S.ti Ioseph, P. Iosephus Th. Higgins, et locum et aliquos Professores libenter suppeditavit. Reliqui sunt optimi saeculares rerum socialium periti.

Erat haec institutio maxime necessaria. Etenim communistae americani, ducti principio leniniano: « Sine theoria revolutionis, non fit revolutio practica », instituerant anno 1923 Novae Eboraci scholam opificum dictam « The Workers School », quae anno 1935 alumnos 9.500 habuerat, ieceratque in eadem urbe propagines quattuor, in aliis civitatibus decem. Marx, Engels, Lenin et Stalin praecipuos doctrinae fontes suis libris suggerebant. Pestiferis eorum doctrinis salutares opposuit catholica schola: Principia moralia quae industriam, individuum, familiam, statum regere debent, Encyclicas pontificias, Sociologiam, Oeconomiam, Historiam modernam, Logicam, Theologiam naturalem, Philosophiae communisticae refutationem, etc.

Alumnorum frequentia et ardor. Primae lectioni adfuerunt 350, alteri 600. Cito accurrerunt 1.100 operarii omnium ordinum: viri et feminae, fabri cementarii, tonsores, mechanici, magistri, iurisperiti, rerum civilium curatores, etc. Stimulus ad eos alliciendos alius non erat, quam optima lectionum explana-

tio. Opifices qui ceteris ingenio antecellunt speciali cura informantur. Adest bibliotheca socialis bene instructa et omnibus datur libellus programma continens ordinis socialis, compositus a nostris Patribus, qui « Coetum Ordinis Socialis » constituunt (Committee of Social Order of the Jesuit Provinces). Alumni res auditas et lectas tanto studio versant et considerant, ut saepe, finita schola, diu in aula remaneant, res expositas inter se vel cum Professoribus discutientes. Nonnulli doceri cupiunt de rebus moralibus in sua professione occurrentibus vel de difficultatibus sibi in officina propositis. — « Iam in posterum non timebimus, aiebat quidam, cum ab officinae sociis eiusmodi problemata socialia in medium adducentur ».

Fructus huius Scholae plures iam fuerunt: Institutio consociationis specialis pro iuvenibus « The Social Sciences Guild », labor impensus pro Nigritis « Interracial Justice », admonitio ephemeridum, quae turbarum motibus periculosis favebant, informatio quorumdam Deputatorum de doctrina Ecclesiae circa leges aliquas discutiendas, conversio iudaeorum et nigritarum, fervor christianus quorumdam opificum qui libenter stipem collegunt ad Scholam sustentandam, aut Missas et orationes offerunt pro necessitatibus Ecclesiae. — Specialis cursus de Religione in Schola Sociali habentur: de Fundamentis religionis christianae, de Gratia, de Sacramentis, de Ecclesia et Statu, de Corpore mystico. Haec Professores sollicite parant, alumni autem avidissime capiunt. Cum explicatum esset Missae sacrificium, altare, paramenta, sacra vasa, etc.; Sacerdos Missae simulacrum in sacello coram discipulis exhibuit, dum alius Pater singulas eius partes explicabat. Foventur non sine fructu visitationes eucharisticae.

Exemplum huius Scholae in alias extenditur. Non modo alia Collegia Statuum Unitorum, sed ipsi Missionarii qui remotissimos populos excolunt in Corea, Bagdad, Manilae, a Professoribus Scholae Socialis informationes petierunt, ut eorum vestigia premerent. -- Praeterea cum Superiores dioecesani Philadelphienses a statione radiophonica consecuti essent, ut ter in hebdomada sibi liceret de re sociali verba facere, Patribus Collegii S.ti Ioseph hoc munus commendarunt. Etiam Collegia catholica civitatis Patres rogarunt, ut in suis studiorum circulis sibi praesto essent. Equites Columbi voluerunt eos disputantes audire de Cooperativis instituendis et regendis. Quin immo Iudaei (Jewish Union) eos invitarunt, ut apud eos in « Temple University » contionarentur. Nequeunt Patres omnibus invitantibus morem gerere. (Woodstock Letters, iun. 38).

Schola Catholicorum opificum in Crown Heights (Brooklyn) instituta

Prope Collegium Brooklyniense, in loco dicto Crown Heights, instituta est ineunte anno 1938 schola Socialis Opificum.

Eius finis ultimus est damna cavere quae universae hominum societati minantur; proximus est opificum foedera ita iuvare, ut cum eorum membra, tum directores, sua opificum munera cum christianis officiis iungere possint. Professores plerumque sunt laici, ut fidem apud opifices inveniant. Aptissimos suppeditavit Institutum Neo-Eboracense « Catholic Evidence Guild », directum a P. Francisco Le Buffe. Curat enim ille Pater optimos iuvenes iurisperitos vel negotiorum patronos Philosophia et Theologia sic imbuere, ut earum principia et doctrinam in compitis coram conferto populo exponere et defendere sciant. Duo soli Patres, Rector Collegii, P. Treacy, et P. Gulielmus J. Smith dirigendi et docendi munus habent.

Lectiones habentur ab hora 20 ad 22,30, in eisque explicantur Encyclicae Leonis XIII et Pii PP. XI; iura, officia, dignitas operariorum; eorum cum aliis classibus relationes, communismus, apologetica, historia societatum professionalium (Trade Unions), fundamenta Religionis Christianae, ars publice dicendi et in publicis Comitiis agendi.

Aliae disciplinae in futuros annos parantur: Ius opificum, Ethica opificum, Logica minor et ars sophismata detegendi et refellendi, etc. Professores explicant per 30 puncta temporis, licitum autem est operariis breves interea quaestiones proponere. Tum 15 puncta discussioni conceduntur. Singulis mensibus publica discussio habetur (Public Forum).

Auditores inscripti sunt 250, adsunt plerumque 150. Non omnes simul unam eamdemque scholam frequentant, sed distributi sunt per varias opificum professiones. Singuli coetus postquam per sex hebdomadas professorem unum audierunt, alium adeunt, atque ita in orbem quattuor disciplinas audiunt.

Non tam numerus auditorum, quam eorum condicio spectatur. Omnes generatim alicui opificum societati inscripti esse debent, in qua postea auctoritatem aliquam exercere possint. Ideo cura praecipua in novos directores formandos intenditur. Ad tollendam omnem cupiditatis speciem, nulla a discipulis minervalia exiguntur; maxime cum similem morem teneant communistae.

Interea patroni minime negleguntur. P. Gerardus C. Treacy S. I. 40 catholicos viros neo-eboracenses, industriam florentissimam agentes, congregavit, quibus per dies aliquot Encyclicas explicaret. Spes est eos anno 1939 eiusmodi conventus regulari quodam modo esse habituros. Alii cursus habiti sunt pro hominibus publicorum officiorum ministris. Optimum quidem esset hos omnes homines ad spiritualia Exercitia peragenda inducere, sed nondum maturi esse videntur. Omnia nunc ordinantur ad Socialem Iustitiam promovendam; paratur libellus precum, in quo preces erunt pro patronis aliorum opera utentibus, pro opificibus suam operam apud patronos navantibus, pro occupatione carentibus, pro atheistis, pro Iustitia Sociali. Si adiuncta patientur, habebitur feria V, ante scholarum initium per 15 puncta, benedictio eucharistica ad illam Iustitiam impetrandam. Ita speratur fore ut auditores ad Exercitia peragenda disponantur. (Woodstock Letters, oct. 38).

Insigne caritatis opus in missione Guadalupensi (Texas)

Die 11 iulii 1932 Exc.mus Archiepiscopus S. Antonii, D.nus Drossaerts, Missionem Guadalupensem Societati commisit. Ita vocatur pauperrimum quoddam suburbium civitatis San Antonio, 12.000 Mexicanorum constans, qui nucum corticibus purgandis fere omnes distinentur, tam exiguo salario, ut ad familiam sustentandam nullo modo sufficiat, multo minus ad letales morbos avertendos, qui eorum misera tuguria passim invadunt.

P. Carolus Tranchese, cui pauperum illorum hominum cura commissa est, videns illum tuguriorum squalorem, consilium cepit omnia renovandi. Decies centena milia dollariorum in hunc finem necessaria censuit, remque diu perpensam Gubernio Foederali proposuit. Cito adfuit Secretarius Commissionis Nationalis Sanitatis (Federal Health Department), ut rem suis ipse oculis perspiceret. Qui cum Patris consilium probasset, diruendum esse insalubre suburbium et ex integro aedificandum, Washingtonem rediit, ut Reipublicae Praesidem de omnibus certiorem faceret.

Interea Pater non cessabat scriptis et contionibus publicis tantam illam necessitatem civibus et magistratibus aperire, qui omnes auxilium se laturos spoponderunt. Unus eorum, paulo ante legatus ad Congressum Foederalem electus, operam Patri strenuam et efficacem, se navaturum, tametsi non catholicus, promisit.

Et Praeses quidem Reipublicae 50 centena milia dollariorum Missioni Guadalupensi destinare voluit sed adversantibus quibusdam civibus, res tota disturbari visa est. Eis Pater non deterritus, viros primarios rogare non destitit, ut pro pauperibus sibi commissis facerent quantum possent.

Post duos tandem annos, die 1 sept. 1937 lata lex est, qua Praesidi facultas concedebatur pecuniam civitatibus mutuam dandi, ut domus pro pauperibus construere possent. Hac lege fretus Praeses Reipublicae die 23 iulii 1938 quadraginta centena milia dollariorum pro renovanda Missione Guadalupensi mutuo concessit. Coetus constitutus est virorum nullas affinitates politicas habentium, qui has pecunias administraret et post annos 60 Gubernio restitueret. Requirit lex ut nova aedificia sint saluberrima et numero incolentium accommodata.

In novi suburbii constructione multi mexicanorum, fabri, pictores, sculptores, aliique artifices erunt occupati, qui miseram fortunam hoc modo meliorem facient. Faxit Dominus Deus, qui optimo Patri Tranchese inspirationem et constantiam, Reipublicae Moderatoribus bonam voluntatem dedit, ut res feliciter incepta exitum etiam sortiatur felicem. (E litt. P. Rob. M. Brooks, Relat. Memor.).

Opera caritatis et apostolatus in Coll. Angelopolitano (Californiae)

Cum illius dioeceseos Moderatores consilium foverent Seminarium maius construendi, alumnorum nostrorum auxilium expetiverunt. Alumni Collegii secundarii (Loyola High School), 100 fere numero, fabulam scaenicam sub titulo « Pageant of the Priesthood » (Visio Sacerdotii) saepius exhibuere, spectantes decies centena milia dollariorum sese collecturos. — Praeterea ad omnium attentionem in Sacerdotium convertendam, per duas hebdomadas, in scholis religionis et linguae anglicae, scriptae sunt elucubrationes et historiolae de Sacerdotio. — In eumdem finem Sodalitas Mariana huius Collegii, quae una cum aliis Scholis secundariis Archidioeceseos, certamen annuum oratorium de Apologetica promovet, disputandi argumentum hoc anno elegit Sacerdotii dignitatem.

Aliis quoque rationibus suum illi iuvenes studium animorum exercent. Sodales Mariani vendere solent singulis mensibus plus 2.400 exemplaria catholicorum libellorum. Ipsi etiam « Legionem Veritatis » (Legion of Truth) condiderunt, ad debellandas calumnias in ephemeridibus sparsas, minuendo subscriptiones ephemeridum, quae catholicam religionem et bonos mores aperte vel dolose impugnant. Sperant fore ut

actio huius novae Legionis fiat nationalis, ut actio « Legionis pro Decentia » (Legion of Decency).

Circulus scriptorum, in eodem Collegio sedem habens sub directione Fratris Pociask, elucubrationes condit pro libello periodico « The Queen's Page » et aliis libellis catholicis. — E quindecim alumnis non catholicis, qui anno superiore Scholam altam frequentabant, 6 instructionem religiosam accipiebant a P. Spirituali, 4 inceperant suam attentionem in sanctam religionem convertere. — Circulus Iustitiae Socialis (« The Social Justice Forum »), Clerum Angelopolitanum congregans, pergit singulis mensibus convenire sub directione Patrum Leahy et Falvey. — Decem civium et operariorum societates Patrem Leahy invitarunt, ut Litteras Encyclicas sibi explanaret. (Nunt. Californiae, febr. 38).

Missio S.ti Ioseph in Nelson insula Hooper Bay Alaska (Oregon.)

Fervor indigenarum gentium in oppido Tununak et in aliis stationibus est vere imitatione dignus. Multi ex illis Sacram Communionem accipiunt singulis diebus et raro desiderantur in pio conventu vespertino. Catechismus docetur cotidie finitis lectionibus scholae publicae. Princeps oppidi, tabulis suo nomine et sigillo munitis, rogavit Patrem Fox ut in scholis publicis piae Sanctimoniales magistris laicis succederent.

In meridionali plaga crescit in dies catholicorum numerus, cum ii qui « Moravorum » sectae adhaerebant, « Romanis » adhaerere festinent. Integra oppida sese ad nostram fidem converterunt, eorumque primates me in hunc finem vocarunt. Incrementum huius Communitatis catholicae tantum est, ut die Paschatis Sanctum Missae sacrificium bis celebrare debuerim, novum enim templum, quod initio nimis amplum fore putabamus, tam magnam coronam continere non sufficit. (P. Deschout S. J.).

Directorum Monialium informatio

Die 15 iulii 1938 Exc.mus Episcopus Buffalensis ad universum clerum suae dioecesis litteras dedit, quarum haec summa erat: Cum crescens religiosarum domorum numerus, necessarium reddat multos sacerdotes Monialium confessionibus audiendis adhiberi; neque id fieri possit sine apta sacerdotum institutione; P. Petrum Cusick S. J., antiquum Praesidem Collegii Canisiani, designavimus, ut in eodem Collegio quinque lectiones de hoc argumento haberet, quibus omnes Sacerdotes Religiosa-

rum confessores, ceterosque post 1932 sacris initiatos, adesse rogamus.

Interfuerunt 125. Lectionum argumenta fuerunt: 1) de qualitatibus horum Confessariorum; 2) de condicione Monialium deque illarum officiis; 3) de votis, instrumento primario ad attingendam perfectionem; 4) de regulis, instrumento secundario; 5) de communibus Monialium difficultatibus, tentationibus, scrupulis et de eorum solutionibus. (Woodstock Letters, oct. 38).

Ortus vocationis religiosae in Assistentia Americae

Anno 1930 numerus alumnorum nostrorum qui in Assistentia Americae Societatem ingressi erant sic se habebat:

Missouri:	ingressi 38	alumni 27
Chicago:	» 44	» 36
Maryland.-N. E.:	» 55	» 51
California:	» 51	» 31

Prov. Novae Angliae habebat illo anno socios 589, alumnos nostros 555.

Si ratio ab his omnibus quaeritur, quae illos ad Societatem amplectendam impulerit, eam dare solent. « Aedificationem acceptam a Patribus et Scholasticis qui in Collegiis versabantur ». (Woodstock Letters, oct. 38).

ASSISTENTIA SLAVICA

Provincia Bohemiae

Post recentes mutationes quas Respublica Cechoslovakiae subiit etiam Provincia Societatis, quae in ea regione florebat, suum nomen et extensionem amisit. A die 26 nov. 1938 ita divisa est, ut, detractis quibusdam domibus quae Provinciis vicinis attribuendae fuerunt, reliquum Prov. Cechoslovakiae in duas divisum fuerit, sub nominibus Provinciae Bohemiae et Viceprovinciae Slovakiae. Novus Catalogus Prov. Bohemiae duas continet chartas geographicas et brevem conspectum historicum, quae libenter nostro Commentario inserimus.

Conspectus historicus Prov. Bohemiae antiquae.

Collegia inchoata anno:

1556 Praha (Clementinum)
1556-73 Praha (Convictus)
1566 Olomouc
1573 Brno (Noviciatus)
1579 Praha (Seminarium)
1584 Krummau
1589 Komotau
1594 Neuhaus (Jindřichův Hradec)
1597 Glatz
1623 Jičín, Neisse
1624 Znaim
1625 Praha (Domus Professa)
1625 Gr, Glogau, Jihlava
1626 Kutná Hora
1629 Eger, Oppeln, Sagan Schweidnitz, Troppau
1630 Leitmeritz
1632 Praha (Coll. St. Ignatii)
1636 Hradec Králové, Klatovy
1637 Liegnitz
1638 Breslau
1644 Uherské Hradiště
1650 Březnice
1656 Telč (dom. tert. prob.)

Residentiae inchoatae anno:

1625 Holešov - 1636
1630 Ober Glogau - 1677
1634 Tuřany
1637 Hirschberg
1648 Cejkovice
1649 Wartenberg
1650 Rímov
1652 Jeníkov, Mariaschein



NOVA PROVINCIA BOHEMIAE ET VICEPROVINCIA SLOVAKIAE



1654 Zemětice
1659 Stará Boleslav
1664 Svatá Hora
1665 Liebeschitz
1666 Tuchoměřice
1672 Cieszyn
1673 Tarnowitz
1682 Deutsch Piekar
1686 Chlumek
1710 Brieg, Dresden
1723 Leipzig
1750 Praha (Domus exerc.)
1754 Hubertusburg
1756 Duppau

Anno 1623 numerabantur in Provincia Bohemiae:
Sacerd. 115 — Schol. 74 — Coad. 54 — Univ. 243
Anno 1773:
Sacerd. 653 — Schol. 250 — Coad. 222 — Univ. 1125

Anno 1754 Provincia Silesiae erecta est. A Provincia Bohemiae separata sunt 8 Collegia et 6 Residentiae cum 223 sociis (122 sacerd.).

Conspectus historicus Prov. Cechoslovakiae

Anno 1919 (8. dec.) Provincia Cechoslovakiae constituta est. Ad quam pertinebant sequentes domus:

Mariaschein (Seminarium min. dioec. 1853 erect.)
Trnava - 1853, Bratislava - 1854
Praha (Residentia ad Sti Ignatii — 1866)
Sv. Hostýn - 1887, Velehrad - 1890 (dom. novic.)
Těšín - 1885, Opava - 1896, Hradec Králové - 1900
Praha - Bubeneč (Seminarium dioecesanum minus) - 1913
Ružomberok [Domus noviciatus slovac.] - 1922
Bodenbach [Domus exercitiorum] - 1925
Košice - 1930, Duppau [Sem. min. dioec.] - 1932
Tetschen - 1933, Benešov (Dom. nov.) - 1935
Spišská Nová Ves - 1939

Anno 1920 numerabantur universim 153 socii, Sacerdotes 72, Scholastici 29, Coadiutores 52.

Anno 1938 erant Sacerdotes 118, Scholastici 144, Coadiutores 129, universim 391.

Die 23 aug. 1938 V-Prov. Slovakiae independens declarata est [Sacerd. 28, Schol. 69, Coad. 59, Universi 156].

Die 26. nov. 1938 Provincia divisa est. Collegia Mariaschein et Duppau et Domus Bodenbach et Tetschen adscriptae sunt cum 61 sociis (33 Sacerd., 21 Schol., 7 Coad.) Provinciae Austriae; Resid. Opav. (Sacerd. 2 et Schol. 2) Prov. Germ. Orient.; Resid. Těšín (Schol. 1) Prov. Poloniae Min.

Seminarium minus interrituale Sophiae in Bulgaria

Exc.mus D.nus Roncalli, primus Vicarius Apostolicus in Bulgaria, consilium olim concepit Seminarium catholicum ritus latini et slavici Sophiae condendi. Cum res Summo Pontifici et Episcopis utriusque ritus proposita esset, omnibus maxime arrisit, coeperuntque statim locum quaerere, in quo aedificium exstrueretur, et Familiam Religiosam, quae illius curam haberet. Locus emptus est anno 1931, distans septem Km. ab urbe Sophia; Familia Religiosa visa est maxime apta Patrum Assumptionis, qui dimidium iam saeculum ibi degebant. Iam aedificii condendi formam adumbraverant, cum difficultas exstitit oeconomica.

Cum nulla huius difficultatis reperiretur solutio, rogavit Summus Pontifex Patrem Nostrum ut vellet novum illud Seminarium suscipere.

Anno 1933 Patres duo illuc missi sunt, qui rerum condiciones perpenderent. Septem menses apud Exc.mum D.num Kurteff, Episcopum ritus slavici, versati sunt. Videntes autem locum electum nimis ab urbe distare, nec scholas privatas a Gubernio tolerari, maluerunt in ipsa urbe parvam aliquam domum acquirere, quae praesenti necessitati sufficeret.

Anno 1934 domus empta et novis eius necessitatibus aptata est, dieque 29 iunii a Rev.mo D.no Roncalli rituali benedictione lustrata. Aderant Rev.mi Episcopi utriusque ritus aliique Religiosi nonnulli. Mense septembri seminaristae quattuor ritus latini, totidem ritus slavici recepti sunt. Nunc 13 numerantur.

Studia quidem ante prandium in schola publica fiunt. Post prandium religione, cantu, historia Ecclesiae, linguis gallica, latina et graeca instituuntur. Hic modus (quem rerum adiuncta necessarium reddunt) illud habet commodi, quod vocationes melius probantur et exercentur, quodque futuri Bulgariae apostoli campum melius noscunt, quem aliquando sunt colituri. Patres duo, unus pro unoquoque ritu et unus F. Coadiutor huius Seminarii curam gerunt. (Ai nostri Amici, sept. 38).

ASSISTENTIA AMERICAE LATINAE

Nostri Viceproviciae Chilensis victimis terraemotus succurrunt

Die 24 ianuarii 1939 partem reipublicae Chilensis vehemens terraemotus concussit, omnium fortissimis comparandus qui Messanam, Iaponiam, Californiam concusserunt. Centrum habuit in urbe Chillán, ubi gradum attigit, quem sismographi « catastrophicum » vocant. Haec civitas et aliae sex eiusdem dioeceseos ab hominibus fere 100.000 habitatae, integrae interierunt. Civitas Concepción et aliae illi vicinae cum fere totidem incolis damna subiere gravissima. Mortui censentur 25.000 (L'Oss. Rom. 22 febr. 1939).

Viceprovincia Chilensis possidebat in urbe Chillán Collegium Nostrorum, Noviciatum et Seminarium minus. Haec sine ulla reparationis spe conciderunt. In urbe Concepción templum erat clarissimum, Residentia et Domus Exercitiorum, quae omnia ita labefacta sunt, ut non possint, nisi magnis sumptibus, reparari.

At vero in tanta civium strage vitas Nostrorum paterna Dei Providentia fecit incolumes. Unus dumtaxat Pater Lavin et Coadiutor F. Guerra in urbe Chillán vulnere non gravi sunt affecti. Ceteri quomodo immunes evaserint, accipite.

Erant Iuvenes nostri una cum alumnis Seminarii minoris in oppido Dañicalqui, aestivas ferias agentes in obsoleto quodam aedificio, cum gravis illa commotio contigit. Domus quidem ita concussa est, ut tota dehisceret cum magna incolarum trepidatione, qui, post noctem taeterrimam, in urbem redierunt tectum quaerentes. Totum conciderat. Fuit igitur in campo sub arboribus die ac noctu considendum. Ibi eos reperit R. P. Viceprovincialis, qui, magnis superatis difficultatibus, die tandem 27 eo pervenire potuit. Eum narrantem audite:

« Protinus statui ut pueri omnes et senio aut infirmitate languentes Iacobopolim se transferrent; Sacerdotes viribus praediti, Iuniores, Novi-

cii et FF. Coadiutores in urbe Chillanensi manerent, ut civibus in tanta calamitate opem ferrent. Statim illi coeperunt dies integros in Nosocomio traducere, quod Dei providentia non corruerat, medicos adiuvando, infirmis serviendo, moribundis adstando; mirantibus et gratias agentibus pro tanta caritate medicis (forte socialistis) et magistratibus. Nunc nostros Iuvenes illinc retrahere in his adiunctis, cum eorum opera est adeo efficax et proficua, improprium esset nostrae vocationis, et omnes, imprimis medici, aegre ferrent. Fere omnes vulnerati sacram confessionem fecerunt, quam sine nostro ministerio peragere non potuissent. Nostri praeter spiritualia auxilia, aquam, alimenta, et quaecumque potest nostra paupertas, civibus praebent, quod Ecclesiae decus, Nostris benevolentiam parat. Plura sunt adhuc sub ruinis cadavera et aliquod periculum imminet contagii; sed nobis non licet gentem illam in strage tam horrenda deserere ».

Litteris diei 10 februarii subiungit idem Pater: « Novicii et Iuniores nostri operam heroicam praestiterunt. Doctores, infirmarii, omnes eorum laborem et abnegationem laudibus efferunt. Tres de hac re commentarii in ephemeridibus prodierunt, sine ullo nostro interventu ». -- His iisdem litteris narrat idem Pater quanta passa sint aedificia urbis Concepción, templum, residentia, domus Exercitiorum, schola gratuita quam 500 pauperes pueri frequentabant. Omnia diruenda erunt et ex integro reconstruenda, si quando media suppetent.

Scholasticorum caritas erga milites in Coll. Max. Sti. Michaëlis (Argent.)

Nonnullae Scholae militares argentinenses locum occupant Campum Maii dictum, nostro Collegio Maximo vicinum, et optimam Theologis apostolatus occasionem praebent. Omni feria V veniunt in nosocomium militare Patres duo, ut aegrotos et famulos instruant et complurium confessiones audiant. Cum aegroti saepius in anno renoventur, plurimi hac via in rebus animi adiuvantur. Paucorum mensium spatio tribus aegrotis sacrum baptisma, 8 extremam unctionem, 6 viaticum ministrarunt, haereticos 2 in Ecclesiae gremium receperunt, 2 matrimonia composuerunt, 96 ad primam Communionem accipiendam pararunt.

Operam praeterea tulerunt 1700 militibus subsidiariis et 500 alumnis cum eorum ducibus peccata luentibus. Quorum quidem dux primarius, cum ceteros ad christiana officia implenda verbis esset adhortatus, ipse primus et coram omnibus ad paenitentiae tribunal accessit. Illud autem eo ipso die omnium animos maxime perculit, quod 18 milites sacro baptismate abluti sunt, quos e sacris fontibus ipsi duces levarunt. Tres iam communiones generales in diversis Campi Maii sectionibus habitae sunt,

duaeque aliae parantur apud tormentarios milites et apud pedites. Die Sanctae Rosae Sacrae Mensae accubuerunt equites, quorum 11 sacro baptismati capita supposuerunt.

Etiam Fratres Theologi proprium habent apostolatus campum, vicum subofficialium, qui nomen habet a « Sargento Cabral ». Hic instructionem religiosam viris 70 et eorum feminis et 150 pueris impertiunt, et conventum eucharisticum celebrarunt, cui milites 430 interfuerunt.

Opus Catechisticum Sti. Franc. Xav. in urbe Mexico institutum

Huius Operis conspectus. Ad pueros Mexicanos insectatorum impietati et fraudi subtrahendos, floret in urbe Mexico et in eius vicinitate Opus Catechisticum a (P. Iosepho Romero) directum et sub patrocinio S.ti Francisci Xav. constitutum; quod a 1° novembris 1937 ad 31 octobris 1938 numeravit sedes 115, alumnos 23.458, catechistas 839.

Catechistae matronae sunt aut grandiores puellae quae singulis hebdomadis, magno sacrificio, unum aut plura centra frequentant. Earum labor efficacissimus est, propter solidam formationem intellectualem et spiritualem, quam a P. Directore accipiunt; ut dubitare possis, maioremne utilitatem ex hoc opere pueri an institutrices capiant. Schola hebdomadaria, circuli, studium privatum, examina catechistarum intellectum informant; recessus menstruus, Exercitia, communio cotidiana fere omnium catechistarum (90%) fervorem animi accendunt. Persuasum est enim Directori et catechistis ex eo maxime operis efficaciam pendere. Vitae spiritualis indicium est quod catechistae die festo SS.mi Cordis « Cruciatam Caritatis Christianae » constituerunt, quae scopum habet omnem murmurationem et iudicium quodlibet caritati contrarium procul amandare.

Docendi labor exercetur vel in templis civitatis (34), vel in domibus privatis (16), vel in scholis domesticis (28), vel in oppidis distantibus (sectio missionalis) (33). Haec oppida magno labore et sacrificio frequentant catechistae non paucae. Sed cum ipsae non sufficiant, conantur oppidanos maxime idoneos viros aut mulieres eligere, qui optime informati sibi suppetias ferant. — Pecuniae superiore anno in hoc opus impensae attingunt 26.524.87 aureos (Pesos), quorum magnam partem ipsae catechistae collegerunt.

Puerorum profectus in doctrina discenda variis modis promovetur optima rerum a pueris discendarum distributione

per singulos annos; accurata docendi methodo, cui matronae visitatrices invigilant; examinibus periodicis et publicis speciminibus.

Pietas vero colitur per Cruciatam Eucharisticam, quae viget ubicumque Sacerdotes sunt, qui Sacramenta pueris ministrare possint. Puerorum communiones numeratae sunt uno anno 101.219. Saepe conveniunt pueri (saltem decies hoc anno) ad diem eucharisticum celebrandum. Magnus ille fuit, quo in templum Bt.mae Virginis Mariae Guadalupensis convenerunt 5.411 pueri cum 464 catechistis, ut Iesu eiusque Matri carissimis splendidum pietatis tributum solverent. Omnes divino Pane Angelorum refecti sunt, e quibus 768 tum primum caelesti convivio accubuerunt; omnes per vices, coram Sacra Eucharistia in ostensorio exposita, multis precibus et canticis, custodias egerunt; omnes sacculos acceperunt copiosum ientaculum et prandium continentes; omnes pompam eucharisticam quae, interiores templi naves perlustravit, contemplati sunt et Iesu benedictionem acceperunt. Cum multa omnis generis Sacrificia subeunda fuissent ad illum conventum adeundum, divinum solacium omnia compensavit.

Sacrae nonnunquam Missiones in remotioribus oppidis doctrinae christianae adiunguntur. Audite beneficium per aquam S. Parentis Ignatii in una ex his Missionibus obtentum. Accidit quondam ut P. Primitivus Cabrera S. I. auditores invitaret ad vasa et lagenas afferendas, quibus eam acciperent. Venerunt illi vasa afferentes floribus ornáta. Inter quos puelli adfuerunt, quorum genitores nec sancto erant matrimonio uniti, nec quidquam de religione audire volebant. Sed ecce mater aquam accipiens et catechistarum suasionibus mota, meliora consilia cepit.

Solebat vir domum sub vesperum rediens poculum alcoholicum petere, quod ei mulier propinabat. Propinavit etiam illa nocte, sed ei tantillum aquae S.ti Ignatii prius immiscuit. Vix ille poculum hauserat. — « Quid mihi bibendum dedisti? » exclamavit. — « Solitum potum. Cur interrogas? ». — « Quia septem ex me daemones erupisse sentio. Volo contiones audire et matrimonium contrahere ». — Accurrit iubilans ad catechistas puerulus: — « Cito adeste. Pater matrimonium cupit inire ». — Advolant illae, eos ad confessionem parant, vir tot lacrimis confitetur, ut ipsum Sacerdotem commoveat. — Initum est matrimonium, tamque serio coniuges resipuerunt, ut etiam post tres menses in vita christiana perseverarent; cumque aliquando femina virum absentem quaereret, eum in templo Rosarium recitantem invenit. (Ex informatione annua eiusdem operis).

Apostolatus apud opifices in Mexico

Apostolus opificum, P. Iosephus Tamariz, ita scribit ad suum P. Provincialem: — « Ex quo R. V. hanc domum visit, vires omnes in opificum salutem intendi et vidi magno meo solatio, quam bene illi conatibus meis responderent. Eorum consociatio socios numerat in praesenti 6.345. Iam P. Crivelli mirabatur, cum ad 3.500 pervenerunt. Tum Pater Noster mihi gratulatus est. V. R. poterit illi referre quantum ille numerus creverit insectationibus non obstantibus ». (Nunt. Mex. ian. 38).

Sodalitas B. V. Mariae a Guadalupe et S. Ioseph pro puellis officiorum administris (Oficinistas). — Eam instituit et dirigit in Mexico P. Eduardus Iglesias. Constat 1.200 sociis et opera sequentia sustinet: — *Societatem cooperativam consumptionis*: Medicinarum, vestium, calceamentorum, etc. — *Arcam pecuniis mutuo dandis sine termino, et sine usura.* — *Arcam securitati sociarum* in aegritudine, in domus mutationibus, in solvendis tributis, etc. — *Academiam laboribus domesticis discendis* coquendi, suendi, acupingendi, etc. — *Coetus bonis libris diffundendis.* — *Actus pietatis* habentur Missa et Communio bis in mense, schola religionis singulis hebdomadis, annua Exercitia, etc.

Virorum exercitia et secessus in Brasilia Septemtrionali

Exercitia Spiritualia. — P. Camillus Torrend, Professor Coll. Max. Bahiensis in Brasilia, litteras scribit de cursibus Exercitiorum a se propositis, quas omnibus gratissimas fore putamus. « Hodie (scribit die 30. VI. 38) finem imposui Exercitiis Sacerdotum quos inter versabatur Episcopus. Omnes bono animo egressi sunt, multique me rogarunt ut suas paroecias percurrerem, has veritates ad captum populi praedicans. Si R. P. Viceprovinciali ita videbitur, morem geram quibus potero tempore otiorum maiorum. Eos hortatus sum ut Congregationes Marianas iuvenum crearent. Quod iam nonnulli fecerunt optimo successu.

Exercitia etiam proposui iuvenibus mercatoribus huius urbis principis, qui unam e Congregationibus constituunt totius Brasiliae florentissimis. Eius Sodales dirigunt scholam commercii valde frequentatam, ephe-

merides catholicas « O Ordem », et mensam argentariam pro aperariis, quae versat quotannis 5.000 *Contos* (circiter 1.000.000 libellar. italicar.), quamquam summas non commodat hominibus affluentibus...

Hominibus carcere detentis, inter quos multi sunt communistae, exercitia tradideram aliquot ante diebus. Cum nuper eos rursus inviserem, ut valere iuberem, tam fervida me acclamatione dimiserunt, ut Director carceris animo commotus assereret, numquam se talem demonstrationem communis benevolentiae vidisse ». (Nunt. Lusit. aug.-sept. 38).

Communio Paschalis virorum in Brasilia centrali a CC. MM. promota

Opera Sodalium Marianorum, quinque communiones generales virorum in nostro templo S. Gundisalvi (São Paulo) tempore Paschali celebratae sunt.

Prima fuit *Puerorum ephemerides venditantium.* Innumeri sunt in civitate, cumque tamquam haeduli vagarentur sine pastore, eorum curam suscepit Residentia S. Gundisalvi. Piae quaedam feminae et CC. MM. eos collegerunt et ad Communionem Paschalem pararunt. Post animi refectionem etiam corpuscula refecta sunt. Deinde catechismus in eorum salutem institutus est, quem multi frequentant, etiamsi aliquid lucri dum ei adsistunt amittere debent.

Altera fuit *Virorum doctrina eruditorum.* Sodalis quidam, bonus pictor, chartulam delineavit cum imaginibus divini Servatoris et Sodalis Mariani virum quendam eruditum adeuntium eumque ad Communionem invitantium. Huius chartae facta sunt exemplaria 5.000, quae ad omnes medicos, pharmacopolas, dentistas, ingeniarios, patronos, etc. per tabellarium missa sunt. Ad professores ab ipsis Sodalibus sunt allata. Interea optimi oratores Congregationis quindecies per radiophonium verba fecerunt, tribus autem diebus ante Communionem binae contiones in templo cotidie sunt habitae de « Principio et Fundamento ». Prior fiebat hora 20, qua finita, ingrediebantur viri in aulam Congregationis, ut parvo poculo et fumo tabaci recrearentur. Statim altera contio habebatur. Communionem distribuit et adhortationem fecit Episcopus Auxiliaris. Quibus finitis, refectio est habita et multi nomen dederunt Congregationi.

Tertia fuit *Curatorum lucis et telephoni,* quos etiam Sodales invitarunt. Triduum pro his fiebat hora 17 cum dimidio, cum ex officina recedebant.

Quarta *Ferroviariorum*, qui per orationes radiophonicas parati sunt. Convenerunt multi e diversis ferroviis cum urbe conexis et obtentae sunt aliquorum ad Deum conversiones.

Quinta *Conductorum automobilium* (Chauffeur). Hi quidem primo praeparationis die paucissimi convenerunt. Postea proposito praemio iis qui socium secum traherent, tam multum frequentia crevit, ut locus ad eos excipiendos in ecclesiae scamnis non esset.

Ceterae CC. MM. eiusdem Foederis suas etiam Communiones Generales diversarum hominum classium promoverunt. (Nunt. Bras. Centr. aug. 38).

Primitiae Iesuitarum Iaponensium in Brasilia Centrali

Schola apostolica pro Iaponensibus in Brasiliam migrantibus, a P. Del Toro in urbe Sancto Paulo instituta, 12 alumnos Societati dedit, quorum primus F. Ignatius Sakakura in caelestem patriam die 24 oct. 1938 vocatus, tamquam primitiae novae huius prolis, locum in « Memorabilibus » mereri videtur.

Natus erat in urbe Tokio die secunda martii 1907 veneratque in Brasiliam cum duobus minoribus fratribus, ut sibi fortunam ampliorem faceret. Sed Deus illi longe meliorem paraverat. Sub ductu P. Aemilii Kircher in religionem catholicam noscendam diligenter imcumbere coepit, tempus quietis sibi detrahens, quo post laborem diurnum multum indigebat. Ita paratus, sacro baptismate renatus est et cito se vocari in Societatem sensit.

Cum in Coll. Sti. Xaverii suam vocationem probasset et linguam latinam accurate didicisset, in Societatem admissus est die 19 sept. 1933, felicissimus quod in salutem suorum civium se totum cito impensurum speraret. Et totum quidem se impendit, sed alio modo quam putarat. Dum enim assidue philosophiam colit, ecce gravi morbo corripitur, et in publicum nosocomium defertur. Gravibus ibi doloribus vexatus, aliud eius lamentum non audiebatur, nisi « Fiat voluntas Dei ». Adeo ut Sorores eum « Sanctum Iesuitam Iaponensem » appellarent. Omnes eius cives catholici validae illius intercessioni confidunt, ad promovendam emigrantium conversionem.

CARITAS ET FORTITUDO NOSTRORUM IN MISSIONIBUS SINENSIBUS

Hiberni Patres Cantonensibus belli victimis succurrunt

Opera a Missionariis tum vulneratis militibus tum civibus bello sino-iaponensi afflictis exhibita, non modo Sinensium sed Iaponensium quoque laudem meretur. In qua primum sine dubio locum tenet Pater Jacquinot, propter opem allatam civibus urbium Shanghai et Hankow. Sed est etiam locus in hoc caritatis certamine Patribus Hibernis Missionis Hongkonensis.

Primo belli anno eam exercuerunt argentum et medicinas comparando, quae in Sinam septemtrionalem et orientalem mitterent, ad ingentem egestatem et aegritudinem sublevandam. *Collegium nostrum Wah Yan* sectionem constituit Crucis rubrae. Singuli alumni singula centesima dabant cotidie de suis argenti summulis; ex-alumni officium (bureau) condiderunt in urbe, in quod eorum feminae et sorores conveniebant, ad fascias et gossypii lanuginem pro vulneratis militibus apparandas; dum viri intenti erant in argenti summas collegendas. — *Ricci Hall*, una cum aliis quinque Universitatis convictibus similem operam navavit. — In *Seminario regionali Aberdeen*, rogaverunt alumni ut sibi liceret quibusdam ciborum oblectamentis supersedere, et lautiora omnia prandia supprimere, ut aliquid argenti ad catholicum coetum mittere possent auxiliis afferendis praepositum.

Cum autem Iaponenses in meridionalem oram appulissent, tum vero necessitas vulneratis ac fugitivis succurrendi fuit urgentissima. Coetus Hongkonensis, catholicis, protestantibus et gentilibus constans, P. Thomam Ryan delegavit, qui cum utriusque exercitus moderatoribus ageret, ad zonam neutralem prope ditionem britannicam constituendam, illi similem quam P. Jacquinot obtinuerat prope Shanghai. Quod cum a Sinensibus ducibus non esset consecutus, auctor fuit civitatis concilio, ut intra ditionem britannicam zona illa neutralis fieret, in eamque aditus fugitivis pateret.

Id britannicis moderatoribus non modo probatum est, sed ipsi curam susceperunt tentoria de suo comparandi. P. Ryan, rogatus ut fugitivorum campo praeesset, munus libenter admisit. Cito eorum 5.000 locum repleverunt, ita ut alter et tertius campus novis advenis aperiendi essent. Omnibus sollicite providebat Pater. Sed ecce die 26 novembris Iaponenses propius adesse, et circiter 100.000 perterritorum hominum uno die in britannicam ditionem irrumpere. in horrida illa confusione hominum pane et tecto carentium, scivit Pater civium omnis condicionis operam petere et obtinere. Vel ipsi nostri alumni, libris relictis, accurrerunt, duce P. Donnelly, Praefecto, ut cibos distribuerent et currus transviarios appararent, ubi miselli hospites hiemem frigidissimam vitarent.

Interea urbs Canton extremis iactabatur angustiis. Milites Sinenses priusquam fugam caperent, quidquid obviam fuerat rapuerant vel combusserant. E decem centenis milibus civium, 50.000 remanebant. Cum primum licuit per Iaponenses duces, illuc venit coetus opitulantium, qui 7.000 civium in Missione catholica, 5.000 in protestantica, alios alibi distribuit. Civitas Hongkonensis cibos et medicinas misit 12.000 libellarum pretio constantes. Una ibant PP. Gerald Kennedy et Daniel MacDonald cum aliis duobus Sacerdotibus et duabus Sororibus. Una ex his curam agere debuit 700 mente captorum, qui omni tutela destituti relicti erant. P. Kennedy, qui medicus fuerat in bello mundiali, operam aegrotis cum 4 sororibus navavit in nosocomio, cuius confusio eo adveniente describi non potest. Nostrorum caritas non modo Exc.mi Episcopi sed vel ipsorum Protestantium laudes merita est. (E litt. P. J. Coyne Rel. Memor.).

Senex intrepidus in Missione Shanghaiensi

P. Paulus de Geloes (Franciae), Missionarius Shanghaiensis praesidium a Deo sibi collatum die 30 iulii 1938 describebat his verbis: — « Per breve tempus tormenta hostium suos globos in nostrum templum collinearunt. Die dominico, finitis vesperis, ad audiendas confessiones properabam. Templum erat hominibus stipatum, qui scamma cuncta replebant. Cum in medium pervenissem, cogitatio subiit: — « Hem, genu flectere me fugit et scandalo sum fidelibus! » — Procidi statim in genua, et ecce eo ipso temporis puncto horrisona crepitatio, teterrima obscuritas, iacula circumquaque cum sibilo volitare. Statim surrexi et quam validissime potui exclamavi. — « Sacrum Cor Iesu, in Te con-

fido ». Omnes, ut patet, fugam capessere nitebantur, et tenebris non obstantibus, cum septem ecclesiae ianuae extrorsum panderentur, cito vacuefacta est. Equidem ne summa quidem cute perstrictus sum. Sed parvus Seminarista 14 annos natus, qui iuxta me stabat, medio capite avulso, ad pedes concidit. Circiter 30 homines praeterea sunt in capite vulnerati, quorum tres paulo post occubuerunt...

Finita pugna... irruunt iaponenses in meam domum. — « Milites occultos habes ». — « Non certe, scrutamini ». — Armaria et tabulae subvertuntur; quae cum ipse prius exinanissem, pauca omnino rapere potuerunt. Tum in scholas, dormitoria, culinam veniunt. Aliqui occisi, plures vulnerati sunt; nec enim poteram ubique simul versari. Multos sospites feci, me inter victimam et militem coniciens. Quidam mihi gladium sclopeto praefixum in ventrem intendit. Ego autem sclopeti fistulam apprehendens: « Non huc, dixi, sed in cor; hoc modo senem octoginta et unum annos natum conficies ». — Constitit ille stupens, sed plus duas horas perducta est contentio. — Hoc anno plus 1.500 catechumenos habui (duas partes virorum unam feminarum), et 500 baptismata. (Paris-Changhai, nov. 38).

Caritas Nostrorum in Missione Wuhuensi

Audite litteras annuas Missionis Wuhuensis, non minus generosa caritatis facinora narrantes:

« Miserandum hoc bellum, quod tantarum calamitatum in Missione causa fuit, dici debet et est splendidissima Ecclesiae catholicae manifestatio... Omnes mirantur Missionariorum caritatem in populum omni auxilio destitutum, et in nostras domos confugientem... Refugium praeter alios quaerebant adolescentulae et mulieres paganae et christianae, quarum castitas... adventu militum in summo periculo versabatur... Missionarii eas a militum libidine fortissimo animo defendentes, saepe in maximum vitae discrimen adducti sunt. Exempla huius fortitudinis narrantur de PP. Echarri, López, Fernández, Eguizábal, Bolumburu Aemilio et Villabona.

P. Aemilius López cui oppidum Pikiakiao commissum erat, heroicam caritatem exercuit. Quoties periculum imminere videbatur, cives omnes ad eum confugiebant, et paterno amore excipiebantur. Iam eorum causa saepe molestias pertulerat non parvas, cum die 20 iulii 1938 latrones armati ad eum ingrediuntur, virum abducere volentes, qui in Residentia perfugium quaesierat. Negavit Pater se civem insontem traditurum. Cu-

biculis omnibus frustra perspectis, eum capiunt et manibus, quas post tergum ligaverant, e trabe suspendunt, ut viri latibulum declaret. Terribiles ille quidem dolores patiebatur, ut si brachia avellerentur e corpore, sed eos divino Cordi pro animarum salute obtulit, donec latrones, re infecta, discesserunt. — Pridie Sti. Francisci Xaverii, qui totius districtus Patronus est, incolae omnes gentiles et christiani, magna exsultatione et musica, dignioribus praeeuntibus, tabulam laudatoriam, quam « Pien » vocant, et lapidem commemorativum ad Patrem attulerunt, asserentes eum esse totius populi salvatorem. Ipso die Sti. Francisci populus sic templum ad sollemnem Missam audiendam repleverat, ut multi foris consistere deberent. Gratias egit Pater pro eorum in Missionarium benevolentia, sed multo se feliciorem fore dixit, si omnes qui caritatem Ecclesiae Catholicae essent experti, Iesum Christum Deum agnoscerent, amarent, colerent. Vespere iterum primates Patrem salutatum veniunt, asserentes populum revera velle Catholicam religionem amplecti. Fervor et numerus catechumenorum et puerorum scholam Missionis frequentantium his votis certe respondet.

Iisdem laudibus prosequitur civitas Langki suum Missionarium P. Fernández, qui, labente anno, plus quam 3.000 profugorum hospitio recepit. Cum praeterea medicinae artem calleret, aegrotos 10.395 et vulneratos milites 528 gratis omnino et magna caritate curavit.

Bellum impedit quominus Missionarii extra locum Residentiae excurrere possint. In eo vero assiduam dant operam erudiendis plurimis ad se confugientibus. Fructus uno anno collectus in civitate Wuhu, non facile tribus aut quattuor annis quieto tempore percipi potuisset. Baptismata 465 collata sunt. Florent caechumenatus et Scholae. In Collegio Monialium 84 honestae feminae et 3 puellae sacro baptismate sunt ablutae. Collegium Sti. Aloisii, quod sub finem mensis septembris iterum apertum est, 120 alumnos habet. Sed potius catechumenos dixeris, centum enim eorum doctrinam christianam cotidie audiunt per dimidiam horam. Die Nativitatis caput salutaribus aquis supposuerunt alumni 20, magistri 2, mechanicus futurae scholae industrialis 1.

Coadiutor F. Otaegui solis mensibus iunio et iulio, adiutus a F. Sierra medico, iniectionibus iuris vaccini anticholerici 15.000 homines munivit, qui turmatim ad eum accurrebant. A mense Octobri iuvatur a F. Ibarrondo ».

NECROLOGIA

P. Longinus Navas (Aragoniae)

Die 30 decembris 1938 vitam mortalem cum aeterna commutavit P. Longinus Navás, vir scientia naturali et virtute religiosa cum primis conspicuus.

Natus erat Cabaces (Tarracone) die 7 martii 1858, nomenque dederat Societati die 29 maii 1875. Completis philosophiae studiis, incubuit per annos septem toto animi ardore in docendas litteras humanas. Eius autem animus ad colendas disciplinas altiores, « scientias naturales » vulgo appellatas, ferebatur. Itaque studiis Societatis magna laude finitis, Naturalium Scientiarum studio et doctrinae applicatus est. Lauream Matriti obtinuit simul docens in nostro Collegio; reliquum autem suae vitae tempus, plus 40 annos Caesaraugustae Rerum Naturalium fuit Professor. Iam hoc insignem Patris virtutem demonstrat, non enim frequens est Sacerdotem nostrum 50 annos docere pari semper alacritate et alumnorum profectu.

Labor autem docendi vires optimi Magistri minime exhausit. Cum studium Entomologiae sibi peculiare delegisset, huic sui laboris campo penitus cognoscendo totum se dedit. Corpori suo fisus, quod etiam expleto 75 vitae anno lassitudinem ignorabat, tempora aestiva, quae ceteri quieti tribuere solent, plagis omnibus Hispaniae multisque aliarum regionum explorandis impendit, insectis, praesertim « Neuropteris » colligendis. In quo tanta fortuna usus est, ut 2.859 species novas, genera 232, tribus 59, familias 9 detegeret et describeret. Eorum animalium collectio prima erat totius mundi post Parisiensem, et neuropteris ex omnibus mundi ad eum missis abundabat. Cum enim mira eius esset vis in eis cognoscendis et in classes redigendis, omnes ex omnibus mundi plagis homines eruditi eius operam petebant, eamque libenter, oblatis optimis suae regionis neuropteris, rependebant. In ingenti numero Neuropterorum quos Musaeum Parisiense possidet circa 100.000 numerantur, quos P. Navás spatio 35 annorum in classes redegit. Adde laborem similem impensum in Musaea Londinense, Viennense, Berolinense, Hamburgense, Budapestinense, Oxoniense, Petroburgense, etc.

Nihil mirum quod omnibus in ea disciplina eruditis esset notissimus. Academiae scientificae 24 illum suis membris adscripserant, Congressus scientifici 20 eum libenter audierant; in plurimis Statibus Europae, Americae, Asiae, Africae libelli periodici de rebus scientificis agentes eius commentarios plus 600 ediderant, propriam Academiam Caesaraugustae condiderat et semper florentem retinuerat.

Illud quidem admiratione dignum videtur, quod viro tam ingentibus laboribus dedito ad alias res agendas tempus esset. Libros enim non paucos asceticos scripsit et Sti. Patris Ignatii Exercitia saepius singulis annis proponebat. Vir antiquae virtutis, indefessus, macer, aëre et sole induratus, semper hilaris, actuosus, pius, simplex, omnes facile ad Deum trahebat. Dum campos et montes, etiam sub ardentissimo sole per integros dies percurrebat, numquam in sacco deerat libellus « De imitatione Christi », quem attenta lectione volvebat cotidie et omnibus enixe commendabat.

Societate e Collegiis Hispaniae pulsa, P. Navás fructum sui laboris hostium rapacitati eripere conatus est. Sed cum Gerundae versaretur cum insectatio communistica saevire coepit, in ea civitate latuit, donec senio et rerum privatione confectus ad Deum migravit.

Liceat hanc necrologiam clarissimo recentissimoque testimonio claudere. Paulo ante Patris obitum, cum ille in communistarum ditione lateret, litterae Caesaraugustae acceptae sunt, quas Cancellarius Regis Belgarum ad P. Navás die 19 octobris 1938 dederat in hanc sententiam:

Palais de Bruxelles, le 19 octobre 1938.

Révérend Père,

En souvenir et en reconnaissance de la part contributive que vous avez apportée à l'étude des collections scientifiques réunis par le Roi au cours de Son voyage en Extrême-Orient, en 1928-1929, Sa Majesté m'a chargé de l'honneur de vous faire parvenir la médaille ci-jointe, frappée à Son effigie. — Je m'acquitte très volontiers de l'agréable mission qui m'est confié et je saisis cette occasion pour vous prier, Révérend Père, d'agréer l'expression de ma considération la plus distinguée.

Le Chef du Cabinet du Roi.

Numisma, 7 centimetris latum, aere percussum, optimam refert ima-

ginem Regis in adversa facie cum hac inscriptione « Leopoldus III Rex Belgarum ». In reversa vero duo laurei rami hunc titulum continent:

A. MCMXXVIII-MCMXXIX
VIRO DOCTISSIMO LONGINO NAVAS
ILLUSTRANDIS REBUS
AD STUDIA NATURAE PERTINENTIBUS
A NOBIS IN LONGINQUIS
REGIONIBUS ORIENTIS QUAESITIS
ET IN MUSAEO BRUXELLENSI
DEPOSITIS
OPTIME MERITO

F. C. Iosephus Prieto (Legion.)

Romae die 11 feb. 1939 in amplexu Domini naturae concessit F. C. Iosephus Prieto, qui per annos 50 Curiam A. R. Patris Nostri sua opera adiuvit et virtute illustravit. Natus erat Ribadesella, in Asturiis, die 28 nov. 1857, cumque aliquot annos in insula Cuba mensae argentariae fuisset addictus, die 14 aug. 1880 telonium reliquit, ut Divino Servatori in eius Societate adhaereret. Septem post annos, die 29 sept. 1887 Romam venit, Oeconomi Generalis adiutor futurus, donec hoc munus cum celesti patria commutavit. Patres et Fratres omnes qui eum per hoc tempus noverunt, eius ingenium, caritatem, submissionem, pietatem communibus laudibus efferunt.

Claro suo ingenio, non minus quam incorrupta fide, plenam sibi Superiorum fiduciam conciliarat; caritate omnes, etiam extra Romam degentes qui eius officiis usi erant, grato animo devinctos retinebat. Fratres in Curia ministrantes eum carum habebant, propter curam qua communibus ministeriis se dabat, quantum ei per Superiores licebat; ii autem qui ex aliis domibus eum in rebus agendis consulebant, ab eo iuvari, dirigi et corrigi libenter cupiebant.

In his omnibus nunquam submissio desiderabatur. Cum Oeconomis Generalibus sibi succedentibus in variis rerum adiunctis obtemperare debuerit, nunquam auditus est de mutationibus conqueri aut de se gloriari. Suum Coadiutoris gradum sic amabat, ut non dubitaret asserere, si iterum ac saepius eligendum esset, semper se hunc gradum electurum; cuius causa nunquam se ullam aegritudinem passum esse dicebat.

Pietas et religio ceteris virtutibus fundamentum dabant. In ultimis suae vitae Exercitiis haec sibi praescripserat: « Videbo Deum in omnibus et omnes in Deo. Etiam in externis, in bello, etc., nunquam de rebus conquerar aut eas mihi non probari dicam. — Priusquam loquar, me colli-

gam et Deum praesentem cogitabo. — Vim mihi faciam. — Moriar vi amoris divini, quo semper agere conabor. — Qui tempus habet, ne speret aliud tempus ».

Die 15 febr. 1938, cum viribus deficere magis magisque videretur, ultimis sacramentis munitus est, postea tamen aliquantum convaluit et vitam communem sequi nitebatur. Sed ecce quodam die in terram cadens humerum fregit et brachii dexteri connexionem dissolvit. Medici, debilitate Fratris deterriti, non ausi sunt vim adhibere, ut ossa in eorum locum remitterent et componerent. Videres autem Fratrem ab eo die nunquam conquerentem, semper laetum et facetum, ut si nullos pateretur dolores. Totam fiduciam posuerat in aqua Sti. Ignatii, quam crebro adhibebat; omnia sua cogitata in proximam mortem, quam saepe mente versabat. Ita cum aliquot menses magnae omnibus aedificationi fuisset, iterum ultimis sacramentis confortatus, servus bonus et fidelis intravit in gaudium Domini sui, ipso die festo Apparitionis B. M. V. Immaculatae.

EPHEMERIDES CURIAE

IAN.-APR. 1939

3 ian. — P. Ioan. Killeen, Substit. Secretar. pro Assist. Americae in patriam redit. (cfr. Mem. VI. 750).

9-14 ian. — R. P. Franciscus Datin, Praep. Prov. Franciae, visitatione peracta in missione Shanghaiensi, Curiam revisit cum suo Socio P. Goussault.

21 ian. — P. Palermo-Lazzarini in clinicam se recipit, ad operationem subeundam; quod accidit die 28. — Domum rediit die 20 februarii.

31 ian. — Excmus. Dnus. Gulielmus A. Rice (Novae Angl.), adhuc Superior Miss. Iraquensis, nunc Vicarius Apostolicus Belizensis electus, diem apud nos traducit.

2 febr. — R. P. Vicarius Generalis Missam celebrat ad SS. Nominis Iesu, in qua vota nuncupant Patres 11 et FF. Coadiutores 3, e decem diversis Societatis Provinciis. Inter quos P. Aloisius Pascalis Substit. Secretarii pro Assist. Italiae, et F. Franciscus Citterio. — Post meridiem P. Adelelmus Frias, Director Commentarii « Archivum Hist. S. I. », apoplexiae impetum subit et ultimis Sacramentis munitur. — P. Miccinelli, Postulator Generalis, iter suscipit in urbem Lecce ad sanationem miraculosam, precibus Bti. Realino attributam examinandam.

4 febr. — Vespere hora 8 cum quadrante P. Adalelmus Frias (Castellanae) pulchram animam Deo reddidit. Natus erat in oppido Hermosilla (Burgis, in Hispania), fuitque discipulus praedilectus Patris Astrain. Pater Noster ei commiserat historiam texendam Societatis Iesu in Hispania post eius restitutionem; cuius alterum volumen fere omnino compositum reliquit. Fuit in labore tenax et constans, veritatis in omnibus studiosus, verbis parcus, caritate eximius, nostrae Societatis et Instituti observantissimus, omnibus qui eius animi demissionem, scientiam et sinceritatem noverant carissimus.

7 febr. — Carum P. Adelelmum Frias funere prosequimur, eiusque corpus terrae mandamus iuxta loculum Patris Sautu, illi amicissimi.

9 febr. — Hora 6½ post meridem Sanctum Viaticum et Extrema Unctio F. C. Iosepho Prieto ministrantur, cuius vita cito in finem declinare videtur. — Preces triduanae imperantur pro bona Summi Pontificis valetudine, qui male se habere coepit, cum sese his diebus accingebat ad decennium Pactionis Lateranensis celebrandam, una cum omnibus Italiae Episcopis in Vaticano congregatis.

10 febr. — Hodie hora 5.31' Summus Pontifex, Pius XI, strenuus Ecclesiae defensor et Societatis nostrae amantissimus, obdormivit in Domino. — Vexillum pontificium ad medium hastile appendimus. In Urbe vacat a scholis, complurimi, ad Sacellum Sixtinum veniunt, ad SS. Patris cadaver visitandum.

11 febr. — Dies festus B. Mariae V. Lapurdensis. Pater Noster 25um annum Generalatus ingreditur. Propter communem Ecclesiae luctum, Superiores domorum non invitantur ad prandium. — Emmus. Card. Boetto Romam et in Curiam venit, Genuam per aliquot dies, ante ingressum Cardinalium in Conclave rediturus. — Hodie legitur in triclinio decretum die 18 ianuarii, a Patre Nostro signatum, quo Viceprovincia Brasiliae Centralis in Provinciam a die 11 febr. erigitur. — Hac eadem die hora 17.15' vita cessit apud nos F. C. Iosephus Prieto, venerabilis Frater 81 annos natus, Socius Oeconomi Generalis, qui per integros annos 50 magna omnium aedificatione in Curia versatus est. (Vide Necrologium).

12 febr. — Per totum diem mirus prospectus e nostra domo patet in forum Sti. Petri, innumera hominum multitudine inundatum ad venerandas sacras exuvias Pii PP. XI in Basilica S. Petri venientium. Etsi omnes magnam gravitatem et subiectionem prae se ferunt, novi hominum fluctus undique confluentium ita crescunt, ut multi militum manipuli non sufficiant ad eos continendos.

13 febr. — Funus celebratur F. C. Iosephi Prieto. — Homines non cessant in templum Sti. Petri accurrere ad visitandum corpus Summi Pontificis, quod crastino die in crypta Sti. Petri iuxta Pium X sanctae memoriae sepelietur.

15 febr. — Nuntiatur in triclinio, a die crastino ad electionem novi Pontificis tres cotidie Patres signatum iri, qui pro hac intentione Sanctum Sacrificium offerant. Tres FF. CC. offerent Missam, Communionem et Rosarium.

16 febr. - In templo SSmi. Nominis Iesu parentatum est honestissime SSmo. Patri Pio PP. XI, nomine totius Societatis Iesu. Aderat Pater Noster cum universa Curia et omnibus Communitatibus Romanis, Alumni Institutorum ecclesiasticorum, Collegium « Massimo », Apostolatus Orationis, Congregationes Marianae, Cruciata Eucharistica etc. P. Galilaeus Venturini (Romanae) orationem funebrem habuit luculentissimam. — Heri funus celebraverat Universitas Gregoriana ad Stum. Ignatium.

22 febr. — Emmus. Card. Boetto redit ad nos, ut ad proximum Conclave se disponat.

28 febr. — Cum die crastino Emmi. Cardinales Conclave ingressuri sint, Pater Noster iubet ut a die crastino usque ad electionem Summi Pontificis septem cotidie Patres Sacrum faciant, et septem Coadiutores Missam, Communionem et Coronam offerant pro hac intentione. — Emmus. Card. Boetto interfuit hac mane Missae de Spiritu Sancto in Sacello Paulino Vaticani, et postquam prandio apud nos accubuit, iterum hora 15.30' in Vaticanum venit, et in Conclavi remansit. — Hospitem habemus Curiae P. Georgium von Sachsen usque ad d. 14 martii.

2 mart. — Hodie hora 17.30' Summus Pontifex renuntiatus est sub nomine Pii XII Emmus. Dnus. Cardinalis Eugenius Pacelli. « Dominus conservet Eum et vivificet Eum et beatum faciat Eum in terra et non tradat Eum in animam inimicorum Eius ». Eodem vespere ad nos redit Emmus. Card. Boetto.

